

*H. J. D. J. Müller Professor in
Wien*

DISSERTATIO JURIS
FRANCICO-GERMANICI

DE

DECIMO, ALIOVE DENARIO

EX

ALIENATIONE FUNDI MOVENTIS,

Q U A M

UNA CUM PARERGIS EX UNIVERSO JURE

PRO

CONSEQUENDO JURIS UTRIVSQUE DOCTORATU

PUBLICÆ DISPUTATIONI

IN

Aulâ majore antiquissimæ Academiæ Trevirensis

Die 19. Septembris anno 1768

SINE PRÆSIDE PROPOSUIT

JOAN. WILH. SCHILLER, Juliacensis

Ex Vollrath, AA. LL. & Phil. in Almâ Colonienfi

primus Magister,

Juris utriusque, feudalis, & S. R. I. Publico-Germanici emeritus,

& in supremo Camerae Cæsareæ judicio practicus,

ab inclytâ Facultate Juridicâ post tentamen & exa-

men rigorosum ad hoc postremum

specimen admissus.

Augusta Trevirorum, Typis ESCHERMANNIANIS.

DISSERTATIO JURIS

DE

DECIMO, ALIOVE DENARIO

EX

ALLENATIONE FUNDI MOVENTIS

LA CUM PAREGIA PER UNIVERSO JURE

PRO

CONFERENDI IN HONORE DOCTORATUS

PER

IN

ANNO DOMINI MDCCCXXXIII

MDCCCXXXIII

ET E. P. S. DE PROPOSITO

DAVID WILHELMUS J. J. J. J.

DE

IN

DE


DE

DE

DE

Angliae Typis ESCHERMANNIANIS.





REVERENDISSIMO,

AC

EXCELLENTISSIMO DOMINO,

D. GUTWALO SIEGER,

ILLUSTRISSIMÆ ABBATIÆ EXEMPTÆ

S^{TI} PETRI GANDAVENSIS

IN MONTE BLANDINIO

ANTIQUISSIMI ORDINIS S. BENEDICTI,

PRÆSULI

LONGE MERITISSIMO,

TERRITORII S. PETRI DYNASTÆ,

PRINCIPI CAMPHINÆ, HARNÆ COMITI,

Toparchæ de Swynaerde, St. Denys, Saffelaire, Afsné,
Baerle &c. &c. &c.

PRIMATI FLANDRIÆ,

Sacræ Cæsareæ Regiæ Majestatis à Consiliis Statûs &c. &c.

Domino, ac Mecænati meo

Clementissimo.

REVERENDISSIMO

AC

ILLUSTRISSIMO DOMINO

D. GONTHALDO SPICER

IN PRAESIDIUM ACADEMIAE

SCIENTIARUM LIBERALIUM

UNIVERSITATIS

ALMAE MATRICAE

FRASULI

DOMINI MERITISSIMO

TERRITORII S. PETRI DYNASTAE

TRIPONTIS CAESARINAE, HARNAE COMITI

TOPICIS DE BRUNNENBURG, S. HILARI, S. JULIANI, AINAE,

ET ALIIS

PRINCIPALIS FLANDRAE

Storae Cantuarum Regis Majestatis & Consilii Secretis &c. &c.

Domino, ac a consensu meo

Clementissimo.

Reverendissime, ac Excellentissime

PRÆSUL,

Domine, ac Patrone Clementissime.



*Victurus victorem quæro auspicem belli academi-
ci, quod post expeditiones theorico-practi-
cas, Coloniae, Dusselæ, Wetzlariae, suscep-
tas, tandem Treviris meditor. Ad ductum
stemmatici scuti Reverendissimæ Excellentiae,
ac Gratiae Tuæ ex bello pax mihi desi-
deratur, sed pax non erit, nisi benè succeden-*

*te bello agatur triumphus. Si alea bellatricis Minervæ sinistrè ca-
dat, in receptu quærenda salus, donec illa se vertat. Receptus mihi
tutissimus suadet Mons Blandinius, locus, uti naturâ & arte,
ita quoque disciplinâ, scientiisque ibi florentibus munitissimus, hoc
præsertim ævo, quo gubernaculum ejus tenet Victor, tribus, qui
eidem culmini præstare, Abbatibus Sigeris ferè par nomine, victo-
riis non impar. Cum illis, dum eras vicennis, anno 1737. vicisti
mundum, & quod majus est, TE, inclytum hoc, cui nunc mode-
raris, asceterium ingressus: luce eruditionis vicisti tenebras, & te-
nebrarum Principes, dum labentibus annis 1739. 1740. 1741.
1743. auditor quinquennalis magni è sacrâ Dominici familia Viri,
Doctores Lovaniensis, in monasterio S. Scripturæ themata, Theo-
logicisque Tractatus successivè omnes strenuè defendisti, Theologo-
rum domus primipilus. Vicisti simul atque vincere docuisti, dum
tricensalis, Novitiorum pugilum magisterio admotus, munere, tuam
scientiam, tum prudentiam requirente eximiam, sex ferè per annos*

egregiè fungebarris. Quid verò? Magistrum ex omni parte consummatum rursus ad Magistros anno 1753 ablegavit religiosa obedientia! Venerabilis memoriæ antecessor TUUS, Philippus Standaert, spiritum discretor magnus, majorem se facturus discipulum, misit Gutwalum suum eruditissimum Lovanium Theologi Gamalielibus, quorum ad pedes, humilis juniorum in Collegio S. Annæ convictor, integro sedit quadriennio, ut celsitudinis fundamenta futuræ eò profundius foderet, jacerétque. Quàm in illa Academiæ matre atque magistrâ, ejusque agonibus quotidianis, gloriæ apparueris, tam sacræ Facultatis Decanus, quàm duo prædicti Collegii Præsides, quos inter postea Brugensis Episcopus Joannes Robertus Caimo, largiùs deprædicarunt: nempe, non solum dicte sapientiæ utrumque Baccalaureatum, biblicum, & formatum es adeptus, sed etiam septem pro Licentiâ consuetas SS. Bibliorum, & Theosophiæ disputationes tanto cum applausu victoriæ celebrasti, ut honorificum æquè ac difficile, quòdque non nisi prima notæ Theologo demandatur, munus Prioris vacantiarum unum mi calculo reportaveris, huncque arduum, & viros probantem magistratum anno integro manifestissimis capacitatis argumentis obtinaveris, atque Te ille. Facile tunc jam Præceptorum Tuorum unus prophetavit, fore, ut aliquando ad majora promotus Ecclesiæ ac Reipublicæ cum utilitate deservias, vix enim tertius ab eo vaticinio annus aderat, dum veritas omen probavit: exemptum est rebus humanis Philippus Abbas, octogenario major, nominatum Te proposuit, electione illustrissimi Capituli procul dubio solum positurâ supra montem, nisi Belgii leges conventæ obstitissent, sed vel hinc illustrior victoria. Quid enim gloriosius, quàm in

tres tanto è cœtu selectos digniores **GUTWALUM**, non sorte, sed magnâ **THERESIA** Austriacâ, judice, mitrâ extitisse dignissimum? Modus vincendi admirabilis, & insolitus: vicisti fugiens, nil ambiens minùs, quàm præesse. Quid autem victorem dico? Hic victus es, conjectus à fugâ in vincula primi loci, in mancipatum difficilis tot filiorum, tot subditorum regiminis, sapienti & insipienti contra libertatem effectus debitor. Regentium, fateor, curis intenta perpetuis vita est splendida servitus; sed hanc catenam auream dextera **TUA** dexterrima sic portat, ut eadem, quæ Te vincit, catena omnium superiorum, equalium, inferiorum corda captivet. Conversationis **TUÆ** suavitas, morositatis expers, despotismi inimica, justitiæ, æquitatis, & quæ virtutum mater est, discretionis sollicita cultrix, hospitalitas, amicitia, eutrapelia, paterna charitas, vocis, oris, & alloquii amœnitas, sine fuce blanda, Blandinium, priscis à naturæ blandientis throno sic mancipatum, magnis, multisque victoriis superant. His non gratulari modò, sed & tropæum istud erigere, ut liceat mihi, **EXCELLENTIAM TUAM REVERENDISSIMAM** supplex obsecror. Vincit equidem meritorum **Tuorum** celsitudo hujus monumenti parvitatem, sed magnorum etiam Heroum memoriis parvos sæpè rudèsque lapides novimus esse positos: Tua sublimitas, humilitatis individua comes, humile memnosum istud non aspernabitur, appromissum jam pluribus, si recordari placuerit, annis, per alium exsolvendum, tandem nunc à me exsolutum. Causa promittendi, ac debendi pertinet ad honorem patriæ meæ, quæ Te cum gente **Tua** præclarâ ad se, velut locum originis, propitiâ lege Romanâ, **Bru-xellis** revocat: Juliacum solum (matrem à filio laudari quis in-

videat?) ingeniorum magnorum, virorumque servitii Sacerdotii
æquè ac Imperii illustrium feracissima semper tellus, Majores
Tuos genuit, aluit: Avus Tuus, ex Palmâ Siegerianâ prodiens
germen, transplantavit se ex studiis, quæ coluit, Lovaniensibus
Bruxellas, ibidémque stemma propagavit. Hanc originem, si quis
Te benè observet, ingenuitas Tua, candidissime Brabantine, ab-
scondere non potest; poter enim cum sis, hinc Picardi Scaldis, illinc
Artesiensis Legiæ, animo tamen, verbis, moribus ructas germa-
num Ruram, & si linguæ nostræ hæreditatem non transmisit us-
que ad Te avus, gallicum idioma non aliâ de causâ substituit,
quàm ut sinceros cordis sensus & brevius manifestares, & elegan-
tius. Ad hanc igitur Juliacensis prosapiæ Palmam theses hæset
meas, dicatas, dedicatas, venerabundus appendo, ut ejus victricæ
sub umbra sint mecum tutæ: foliis perennibus votum inscribo de-
votissimum: PRO BONO PUBLICO STET VIRENS IN BLANDINO
ISTA SIEGERIANA PALMA, cui me clientem demississimè commen-
dans, profundissimâ veneratione permaneo

REVERENDISSIMÆ, ET EXCELLLENTISSIMÆ
GRATIÆ TUÆ

Servorum Infimus.
J. W. SCHILLER.



I. N. D. N. J. C.



ræsens tractatus parvus non agit
de illo *decimo nummo*, qui loco
ultimi tributi à solis emigranti-
bus, aut *instar gabelle ob expor-*
tatas hereditates, Domino ter-
ritoriali *quà tali*, vel alteri hoc

ius habenti, * solvendus est, latinè *detractus*, germa-
nicè *Nachsteuer, Abschoss, Abzugsgeld*, atque etiam
der zehende Pfening, vocatus, ** quia in plerisque
Germaniæ locis ex rebus, tam *mobilibus*, quàm im-
mobilibus dividitis, aut æstimatis, *deni* in singulos
centenos *denarii* *** detrahuntur.

Sunt, etiam in *Treviratu*, domini, nec superioritate territoriali, nec

jure collectandi gaudentes, qui nihilominus ab *emigrantibus* suis subditis fundalibus decimum nummum habent, tam *mobilium*, quam *immobilium*, licet ceteroqui à non-emigrantibus eum non habeant.

** De quo jure vid. *Recess. Imp.* de an. 1555. §. 24., de an. 1594. §. 82. & 84., nec non *Instrum. Pac. W.* art. V. §. 37. verbo *decimationibus*.

*** *Stryck* in *Usu moderno Pandect.* lib. 50. tit. 1. §. 13.; ubi tamen addit, in nonnullis locis esse centesimum, quinquagesimum, viciesimum, decimum quintum, imò & quartum, tertium denarium. Per illustris Abbatis Dominarum nobilium Can. S. Aug. in *Frau-Luteren* propè Saravi Ludovicum detrahit tertium.

II. Noster nummus non descendit *ex jure jurisdictionis*, sed *ex jure patrimonii*, aliis certo modo concessi: non solvitur ex bonis *mobilibus*, sed *solis immobilibus*, non per modum *tributi*, aut *gabelle publicæ*, nec *tunc demùm*, cùm *emigratio*, aut *lucri hereditaria exportatio*, contingit; imò propter hæc nihil: unde ista exactio falcem non immittit in *jura superioritatis territorialis*. *

* Quanquam sæpè *ipsimet Domini territoriales* gaudeant eodem jure non tamen aliter, quàm, *si sint in casu dominorum fundi*. Sic Rex Galliæ, non ut Rex, sed ut dominus fundi, eundem nummum habet: pari modo Duces Lotharingiæ, & Luxemburgi. Sic & Electoralis Camera Trevir. quædam loca ejusmodi ac jura tenet, nominatim in curte *Gipperath* propè Wittliacum, ubi duæ tertiæ hujusce decimi nummi ad ipsam, reliqua tertia ad Canonicos S. Simeonis Trevir. pertinet. *Comput. Celler. buj. Colleg.* de an. 1548. 1717. & 1722. Quòd si purè fuerint Domini provinciales, territoriales, altæ, vel mediæ, i. e. civilis jurisdictionis, hunc nummum

non habebunt: imò ne quidem *omnimoda superioritas, & jurisdictio*; inclusâ etiam *ipsâmet fundali*, eundem inferet sine requisitis inferius deducendis.

III. Quòd si nostra decimatio cum illâ, *qua ex superioritate territoriali est*, concurrat, veluti, dum venditor fundi emigrat extra territorium, aut hæredes venditi fundi pretium exportant, tunc nostra decimatio præcedit, & territorialis succedit. *

* Quia hæc non sumitur, nisi ex patrimonio, vel lucro hæreditario exportato, neutrum verò intelligitur, *nisi deducto ære alieno*. l. 39. §. 1. ff. de V. S. §. ult. in fin. Inst. de leg. falcid. Sed noster nummus ad æs alienum pertinet, cùm sit ex lege concessionis prædii.

IV. In computibus ecclesiarum Trevirensium, qui olim latinè conscripti fuêre, passim nominatur *nummus decimalis, denarius decimalis, decem-denarius*; quia regulariter 10. ex 100. dantur, tam *in hâc patriâ*, * quàm *in viciniâ*, ** imò multis etiam *remotioribus* locis. ***

* Inclytus Ordo equestris Teutonicus habet hunc in *Riesenthal*, Perillustr. Abbatia Dominarum ad S. Irminam in horreo Treviris in variis suis curtibus, Abbatia Tholejensis in Majeriâ *Waldweiler*, *Schillingen* &c. divisis prædiis ab his, quæ eundem dant Rmo & Illmo Capitulo Metropolitanò Trevirensi, Ecclesia Collegiata S. Simeonis in *Besselich*, *Binsfeld*, *Dablheim*, *Gypperath*, *ad Huttam*, *ad Kylam*, in *Idem*, *Idesheim*, *Ittel*, *Olckenbach*, *Spang* &c. Similiter Dominus fundalis in *Föbren*.

** Inclyta Commenda Ordinis Teutonici Saræpontana tollit deci-

num nummum in *Rollingen, Hindlingen, Eschringen*, Abbatia *Tholejensis* quoad duas tertias, & Dynasta in *Oberstein* quâ talis quoad unam tertiam, in Dynastiâ *Ober-Kirchen* Ducatûs *Lotharingici*, eadem sola in dynastiâ *Wertenstein* ejusdem territorii. Dynasta villæ *Bruch*, partim *Trevirensis*, partim *Luxemburgensis* territorii, similiter.

*** *Leyserus* medit. 2. ad Pand. specim. 104. scribit, Nobilitatem equestrem loci *Rböna*, & *Werra* à suis feodalibus & censiticis hominibus territorii *Fuldensis* ab immemoriali tempore *decimum nummum* accepisse sub nomine *Lehn-Geldes*. *Webner* in *observ. pract.* verbo: *Hand-Lohn* testatur, Nobilibus *Franconia* ex inveterato usu deberi 10. de 100. Idem de quibusdam locis *Borussiae* *Besoldus* *Thesaur. pract.* Tom. I. verbo eod. Tantumdem alibi receptum esse, tradit *Schilter* in *Dissert. de bon. laudemial.*, addens ex *Frantzio*, etiam illis in locis, ubi communiter solvitur *vielfelmus* denarius, interdum solvi *decimum*, & nominari *laudemium duplex*, seu *geminatum*.

V. Non paucis in locis denarius iste *major est decimo*, * in multis etiam *minor*; ** in praxi rarò est *duplum super ejus quantitate*; quæ enim consuetudo illius existentiam annunciat, eadem quoque simul dicit quantitatem, quæ omninò servabitur. ***

* *Nic. Boërius* ad *Consuet. Bituric.* tit. 4. §. 5. gloss. 1. refert, in aliquibus locis regni *Francia* deberi *quintum* denarium, quem & consuetudo *Atbesiensis* approbat, per consuetudines *de Lorry* solvendum esse *quintum*, & *subquintum*, sive *requintum*, i. e. totius summae, ex quintis denariis resultantis, augmentum pro quinta illius parte, e. g. de 1000. dabuntur 240., ut explicat *Consuetudo Arvelian.* cap. 60. Apud *du Frêne* verbo: *laudium* charta est de anno 1297., per quam *Canonicis Cabilonensibus* solvetur *quartus* denarius; & verbo: *laudemia* est statutum *Ecclesiae Valentine*, per quod nulli remitteretur *tertius* denarius: *in quibuscunque administrationibus pro laudemis non valeat fieri aliqua gratia ultra tertiam partem.* In

curtibus Lotharingicis, *Beckingen, Pachten, Hausstatt, Horzevath, Memmersborn*, solvitur in clyto Ordini Teutonico tertius, similiter Abbatiae Tholejensi in toto Ballivatu Schamburgens, nominatim per parochias, *Tboley, Bliesen, Castel, Exweiler, Marpingen &c.*, sic, ut ipsa nuper ex subhastato praedio ultrinæ ferri conflatoriae per sententiam Metensem classificatoriam ex concursu creditorum hoc nomine retulerit 1500 libras: nec minus insignis Collegiata S. Simeonis Trevir, levat in *Evbringen* Ducatus Lotharingici tertium nummum: in *Brottorff* territorii Trevir. Dynasta pariter tertium, quanquam hæc avis sit per Treviratum rarior.

C. du *Frésne* verbo: *laudationes* ex Steph. Baluzio Tom. 2. Histor. Arvernens. pag. 707. allegat chartam anni 1308., per quam in singulos duodenos denarios dabantur duo: passum, quia, & causam, & exactam distinctionem continet, describo: *de possessionibus venditis debet dari domino, de cujus dominio movent, de SOLIDO UNUS denarius pro VENDIS, & ALIUS denarius pro LAUDATIONIBUS, seu pro servitio ipsius, & non amplius.* Consuetudo *Parisiensis* apud C. *Molinaum* tit. 2. §. 74. constituit domino censuali *de 12. denariis unum*, sive duodecimam partem pretii, sive, quod idem est, 20. denarios per libram. *Dictionaire de Trevoux* verbo: *lods*. Charta S. *Ludovici* Regis de an. 1254. noluit burgenfes Bellijocenses laudum nomine plus solvere, quam *decimum tertium* denarium. Per Statuta *Norimbergensia* est *decimus quintus*. Litteræ *Philippi A.* Regis Galliae de an. 1197. noluerunt incolas *Aquarum* mortuarum solvere ultra *viceesimum*; & hic est secundum Authores etiam *Germanis* frequentior. Postquam *Justinianæum Jus* in Germaniam inductum est, placuit diversis, præsertim monasteriis, *quinguesimus*, sive 2. de 100, ex quo denominatio: *Closter-Lehn-wahr*.

Sic *Barthol. Cbassenaus* ad Consuetudines *Burgundicas* Rubric. II. §. 1. *Constitutione Regni Franciæ debentur ventæ domino censuali, quando res censualis venditur, vocantur VENTÆ alicubi, & alicubi LAUDEMUM. ET IN HIS ATTENDITUR CONSUETUDO, scilicet, QUANTUM SOLVI DEBEAT, Arg. l. 5. in fin, C. de Agric. Ergo licet de jure lau-*

demium sit QUINQUAGESIMA pars pretii per text. in l. 3. C. de jur. emphyt., tamen, quantum sit bodie in hac patria, attendenda sunt consuetudines, & usantia locales, secundum quas solvendum est laudemium.

VI. In computibus San-Simeonæis vocatur Optimalis, Kyrmut, * sed gnávâ, & studiosâ separatione duplicis optimalis, quorum alterum ex morte cedit, alterum per alienationem bonorum immobilium. **

* Ultra 200. annos est ibi vetustissima rubrica hæc: *Recepta pecunia ex optimalibus* diversarum curtium, sub quâ inscriptus quoque legitur decimus denarius *ex alienatis* immobilibus, e. g. ad an. 1577. Adam Kremer in Urtzich vendidit hereditates in Olckenbach fitas, 4 flor., & à margine legitur: *nota, datur decimus denarius.* Ad an. 1737. Item von Caspar Warbach zu Olckenbach das Kyrmut wegen eines Weingartens. Item von Matheiß Meier von Bausendorff das Kyrmut wegen einer Wiesen. An. 1737. auf dem Jahr-Geding zu Olckenbach zahlt Augustin Marsen das Kyrmut wegen zwey Wiesen-Pläggern. Germanica vocabula, Kyrmut, Churmuth, Besthaupt, veterunt nostri per latinum Optimalis, quasi à selectu optimi: in antiquis chartis invenitur Curmeda, Cormeda, Curmedia, Vid. du Freijer in verbis: Curmedia, & Coremede, nec non Histor. dipl. Trevir. Tom. I. pag. 684., ubi Ex-Abbas Prumiensis, celeberr. Cæsarius Heisterbacensis, successori suo jura Prumiensis Abbatia in curte Kesslingen describens, sic: *omnes homines, & mansionarii, & capitales, quando moriuntur, CORMEDAS solvunt.* Kyrmut derivari à *Miren*, eligere, satis constat; sed altera pars hujus vocis composita, nempe *Mud*, obscura est. J. G. Wachter in Glossar. Germanico. verbo *Kuren*, juncto verbo: *Miete*, derivat eam à *dono* (miete) *optioni ejus*, cui exhibebitur, relicto: hunc sequuntur alii apud Perill. Camerae Wetzlar. Assessorem L. B. de Cramer Nebenstunden Part. 4. pag. 36., & part. 33. pag. 48. Stryck in Urtz

modern. Pandect. lib. 19. tit. 2. §. 15. post alios deducit à *Mied* den, locare, quasi pretium locationis sit in electione locatoris. Sed tò *Mud* modernum est patenter tò *Moid*, vel *Moed*, non *Mied*, nec *Miete*, veterum, scilicet *animus, voluntas*, juxta modum scribendi adhuc Sæc. XVI. comparentem: *myt vurbedach* ten *Moed*, vel *Moid*. Adde in cit. part. 4. horarum subscisivarum pag. 45. & 46. expressiones de annis 1392. 1411. 1467. 1535. *Kuirmoidig*, & *Cuirmoidig Gut*. Unde *Kurmoed* idem est, ac *Kurwill*, quod vocabulum hodie in verso modo pronunciamus per *Willfur*, quasi diceret hic *arbitraria exactionis debitum*.

Computus isti, quando cessit optimale *per obitum*, constanter istud sic expresseferunt, ut vel scriberent simpliciter: *ex optimali* *hujus illius curtarii*, vel, *ex optimali per mortem*: Econtra, dum aliud genus optimalis, nimirum *ex alienatione*, receptum est, scripsere *An. 1533 de optimali in Olckenbach OCCASIONE VENDITIONIS bonorum Gersten-Hans, & Hillen-Hans. Item de optimali EX CAUSA PERMUTATIONIS bonorum Dam-Clementis de Hillen-Hansone de Olckenbach. An. 1539. Receptum ex optimalibus: Johann Schmeit de Olckenbach, qui cessit bonis propriis. An. 1550. de optimali PER ALIENATIONEM Koppen-Theis-Marie in Gipperath &c.* Primum genus optimalis rectè dixit *Du Fresne* loc. cit. esse in Germaniâ *servitutis speciem*, seu potius *servilis conditionis ultimum censum*, ut est in diplomate foundationis monasterii de monte S. Michaëlis extra Bambergam apud *Bruschium* de monaster. Germ. pag. 87., ut obeunte aliquo obnoxie conditionis, dominus jus habeat, rem, quam veller, in illius bonis, v. g. equum, vestem, annulum &c. seligendi, sibi que asserendi; sed Vir, nostrarum rerum non satis gnarus, malè subjunxit: *quæ species est laudimii, seu relevii*; hoc enim tantum de *secundo optimalis genere* verum est, dum in *alienationibus* accipitur *Curmeda*; nam *Curmeda mortuaria* neutiquam est, vel dicitur *laudemium*.

VII. Galli vocant hanc præstationem *lods, lots*, aut

lot & ventes, laudes, & vendas, laudationes, & venditiones, ut habent antiquæ eorum tabulæ, venditiones propter consensum domini in alienationem, laudes propter approbationem novi hominis censualis: recentius vocaverunt à laudibus laudemia, vel laudemia, à consensu domini accordamenta, à renovatione relevia, relevationes. Nos voce barbarâ laudemis deinceps utemur, quia civitate à Jctis donata est pridem. * In re est jus laudate, sive rata emptionis venditionis, sive portio domini de pretio venditionis nonnisi de suo consensu valentis. **

* Vide supra §. V. not. 2. elegantem passum ex Steph. Baluzio, & adverte, quod ibi denarius pro vendis præcedat, denarius pro laudibus sequatur, ordine naturali, cum prius in alienationem consentire debeat dominus, dein novum hominem approbare; sed maluerunt nihilominus Galli dicere: lots & ventes, quam ventes & lots. De super vide C. Molinæum ad Consuetudines Parisiens. Tit. 2. §. 76. num. 4 & 5.

** Laudemium passim vocant Legistæ, licet in Corpore juris non inveniatur, nec ullum aliud nomen illius quinquagesimæ partis pretii, de quâ l. 3. C. de jur. emphyt. Germani reddunt illud variis nominibus, Handlohn, Lehen-Gewahr, Ehr-Schass, Trevis nihil aut parum usitatis: Laudemienst-Gelder in emphyteutibus, aut temporalibus locationibus, intelligunt etiã eorum rusticorum.

** Hinc celeberr. advocatus Carol. Loyseau voluit descendere hanc phrasin à lod où lot des ventes, hoc est, portione ex venditionibus; Celtis enim lot, los, est portio. Wachter ad hoc verbum.

VIII. Est verò laudemium, prout utramque causam

causam complectitur, pragmaticâ divisione duplex: aliud *majus*, das Hohe, aliud *minus*, das kleine: illud pro *venda licentiâ* est, hoc pro *receptione novi curtarii*, vel *possessoris prædii alienati*. *

* *Minoris* laudemii species est illa *quingagesima* pretii, vel æstimationis d. l. 3. Codicis Justinianæi; non enim datur pro *consensu* domini in venditionem emphyteutici juris, utpote qui jure illo nullatenus desideratur, sed unice pro *receptione novi emphyteutæ*, quæ fiebat vel *subscriptione*, vel *depositione*, vel *attestatione*: quare l. ult. C. de jur. emphyt. nihil aut parum facit ad nostrum decimalem denarium. Germanis multis vocatur *der Schreib-Schilling*, & sunt, teste *Webnero*, 26. denarii. In Treviratu, & vicinâ variè nominatur, nam 1.) *der Aus- und Eingang*, venditore exeunte 12, emptore ingrediente 16 *Petermängos* solvente; concordat gallicana phrasis: *ventes & issues*, aut, *droit d'issue & d'entrée*, jus exitûs, & introitûs. 2.) *Das Handschuh-Geld*, ut in Majoriis Abbatia S. Mathiæ supra Treviros; erat enim mos antiquissimus, doni laudemialis loco dare domino censuali, vel majero ejus, *par chyrothecarum* pro investiturâ, vel inscriptione. Consuetudines *Auvelianenses* cap. 107. quatuor genera bonorum laudemalium recensent, a) *A droit de lots & ventes*, quæ pro relevio dant *sextam partem pretii*, ut interpretatur *Nic. Boërius* ad tit. 2. cap. 4. b) *A ventes simples*, quæ pro unoquoque franco 16. denarios Parisienses, i. e. *decimam quintam partem pretii* c) *A gans & ventes simples*, quæ insuper *unum par chyrothecarum* adjiciunt, & d) *A vins & ventes*, quæ insuper vini metretam: hujusmodi relevia vinaria reperias quoque in pago Mosellæ, & est Franconibus unus vini *quartarius*, ein Viertel Wein für den Weinkauff, teste *Webnero*, qui Treviris audit *sextarius*, ein Sester, solètiq; solvi per 16. *Petermängos*, 3.) Hoc *minus* laudemium nostrâ in terrâ, atque vicinâ frequentius vocatur *Fang-Recht*, i. e. *Empfang-Recht*. Recordium Ole-

kenbacense de an. 1518. Item wylt der Scheffen vor Hoiff-
 ader Lehen-Gudt Empfang-Recht zu Dickenbach in dem
 Hoive, dem Scholtessen vor abe XV. Heller, und darzu den
 Scheffen myt den Scholtessen VII. albos, dieselben sollen sie
 freundlich myt einander deilen nach dem alden Gebrauch und
 Herkommen. Plena sunt recordia, & registra ecclesiarum, alio-
 rumque dominorum fundalium, receptis ex hocce jure des-
 Fang-Rechts; sed plerumque modicum quid datur, multoque
 minus quinquagesimâ Justinianæ, e. g. in curtibus Tholejen-
 bus pro Majero, & Scabinis 50. pro Domino 6 Crucigeri Rho-
 nenses, in aliis pro Domino 12., in aliis 5. Petermangi. Ab hoc
 minore laudemio paucissimi novi curtarii eximuntur, etiam in
 curtibus, quæ majus laudemium in consuetudine suâ non habent.

Additio. Cum hoc laudemio minore non confundatur *gabella infirmitatis, & protocollationis judicialis, die Auftrags-Gebühr*; hæc enim non *jure susceptionis in curtem, vel immissionis in prædium consuale*, exigitur, sed *jure annotationis publicæ ad effectum 1.)* Ut emptor ex tunc reputetur pro vero rei emptæ proprietario, cum sine protocollatione tantum censeatur esse *detentor anticreticus, Pfand-Innhaber.* 2.) Ut currere incipiat *fatale retractus*, absque eo non curfurum. Vide Ordinationem Electoris Caroli Caspari pro civitate Trevir. de an. 1661. in Tomo III. *Hist. dipl. Trev. pag. 837.* nec non *Consuetudines Luxemburgenses Tit. V. art. 1.* Jura hujus gabellæ Treviris sunt *quinquagesima Justinianæ*, cujus dimidium venditor, dimidium emptor solvit, nisi aliud inter eos conven- rit. Protocollationes istæ regulariter fiunt coram judicio *dominii jurisdictionis fundalis*, etiam si hic laudemio non gauderet, nec fieri coram eo, qui habet laudemium, nisi insimul dictâ jurisdictione potiatur.

IX. Utrumque laudemium, *majus, minus*, erat præmitus *arbitrarium*, donec constitutionibus Prin-

pum, statutis locorum, pactis conventis, antiquis consuetudinibus, & observantiis, ad aliquid certi ac fixi redactum fuerit. *

* *Laudemium*, si ita fas sit appellare, *Justinianæum* fuisse ab initio liberi arbitrii, clarè dicit l. 3. C. de jur. emphyt. *Et ne avaritiâ tenti domini magnam molem pecuniarum propter hoc efflagitent, quod usque ad præsens tempus perpetrari cognovimus, non amplius eis liceat pro subscriptione, vel depositione, nisi quinquagesimam partem pretii, vel æstimationis loci, qui ad aliam personam transfertur, accipere.* Cùmque Sæc. IX. τὸ ἐισδευτικόν, sive renovationis pretium, rursùs in arbitrium dominorum directorum retractum esset, *Leo Philosophus* Imp. suâ, quæ tamen vim legis non habet, *Novella 13.* fixit illud *duplo canonis emphyteutici.* Consuetudines *Aurelianenses* cap. 115. habent *relevoysons à plaisir*, relevationes *arbitrarias*, nisi probetur certum *laudemium*; ne verò arbitrium excedat, *reditum unius anni* determinârunt domino censuali, unde à quibusdam *Jctis Gallis* *laudimium* hoc vocatum est *Annata*; ex quo more *Clemens V.*, & *Joannes XXII.* Papæ, natione *Galli*, *Annatas beneficia* forsân introduxerunt in *Ecclesiâ*. *Divinationis* non mulctabor, si dixerò, omnia prædia, quorum colonus solvit *Ryrmut* ex alienationibus, & *curmædica* audiunt, suum primitivum nomen hinc accepisse, quia *laudemialia* jura domino fuerunt *arbitraria*; quid enim *Curmoed* aliud est, quàm *electionis arbitrium*? Res ipsa, quæ huic arbitrio obnoxia est, idem nomen abinde accepit, sive cum aliis *Curmied* ab eligere, & locare, sive *Curmiete* ab electione doni, derives, semper manebit *arbitraria res*, propterea etiam in *Olckenbacensi* recordio vocata *Best-Haubt*, *Optimale*, quod semper relinquitur arbitrio optantis.

X. Quod igitur ab antiquissimo tempore, cujus in-
rii non exstat memoria, semel fixum, atque determi-

natum est, hoc, prætextu durtie, aut iniquitatis, * tolli
aut diminui non debet. **

• Laudationes, & vendas solvi, multi Jcti scribunt esse *rem odiosam* sed absque ratione, quanquam verum sit, rusticos odisse eas; consideretur autem vel sola origo, & conditio talium prædiorum profecta sunt hæc à domino, vel gratis, vel parvo dato pretio erga canonem annuum modicum, cum jure fructus percipiendi præter alias curtis utilitates, ut sunt pascua, & sylvæ: dominus *in compensationem ejus, quod ab initio, & tot fortè per annos minus datum est*, reservavit sibi necessitatem consensûs unâ cum certâ parte pretii, si homo censualis velit jus suum alienare: hæc compensatio est *valdè casualis*; contingere enim potest, ut prædium aliud quod per 100. & plures annos non vendatur, quanti verò fructus intereâ non decedunt domino? In contractu *libellario*, de quo *J. Feud. 5. & 13. II. Feud. 9. 39. & 44.*, nihil iniqui vel injuriosi ex hoc subest, quòd emptor, vel ejus successor, certis elapsis annis, e. g. singulis decenniis, in perpetuum de novo totum primum pretium solvere debeat, quia inter rem venditam & illud nulla fuit proportio: quidni & hîc ob eandem rationem? si alius dominus fuit bonus, & solum *viceesimum* denarium exegit, aut *decimum*, propterea alius non fuit malus, quòd ipse *tertium*, quem fortè casum plurimis annis non videt. Sanè dantur centenæ & millenæ vineæ per tractum Mosellæ & Rheni, quæ domino, à quo movent, quotannis *quartam*, imò *tertiam* uvam pendunt, vulgò *biertel = drittelt = Weingarten*: dantur agri, *sünsttel = Land* dicti, qui *quintum* dant manipulum. *Decimas dominicales*, sive profanas, ex contractu debitas, etiam in perpetuum, de successione in *successione*, nemo dicit esse odiosas. Vid. clar. Engel ad tit. de *decimis num. 22. punct. IV.* Et cur odiosum sit *incertum* atque *fortuitum* illud emolumentum tertii, vel alterius minoris nummi ex pretio divenditi prædii, domino affecti erga exiguum annale commodum? Certè emptor non læditur exinde, quia eò minus pretium dat ven-

ditori, si emptoris sit utrumque laudemium solvere; neque etiam venditor, licet enim *nihil ejus, quod est domini*, sed *unicè jus suum*, quod Justinianæa lex vocat *emponemata*, vendat, meminisse tamen debet, primum acquirentem non emisse hoc prædium, aut si emit, modico pretio, neque annuos canones fuisse proportionatos perceptis à villico fructibus, atque hinc non iniquè *compensationem istam casualem* placuisse.

** Sunt hæc dominorum, ecclesiasticorum, sæcularium, jura longius, latiusque per Galliam & Germaniam recepta, legibus publicis firmata, atque longævo usu inveterata, quàm ut uno icu alicujus edicti generalis aboleri valeant, tum *arg. l. 2. ff. de constit.*, tum ex regulà *de jure quæsito nemini sine causâ necessitatis publicæ tollendo*; affectârunt an. 1525. tumultuantes rustici excusionem *Curmedarum*, sed nihil hætenûs obrinuerunt: *Rustica gens, optima flens, pessima gaudens*, tractanda est ut salix arbor, cujus venter crepat, nisi capiti frondes diligenter præscindantur: oportet in eâ relinquere rememorativa jura, tum *beneficiorum*, quæ majores ipsius receperunt à dominis fundorum, tum *conditionis servilis*, quæ licet rusticorum pluribus Sæc. XIII. *quoad personas*, ne essent ampliùs *bonines proprii*, remissa fuerit, *quoad Curmedas* tamen, & *alias serviles præstationes*, ad perpetuam rei memoriam sine quâvis injustitiâ remansit. Plurima Germanorum recentiora Statuta provincialia deficiunt in eo, quòd titulis *de statu hominum* careant: laudandæ sunt *Consuetudines Luxemburgicæ*, quæ mox Tit. 1. art. 4. 6. & 7. *altioris status personas*, videl. ecclesiasticas, equestris ordinis, milites nobiles (les Ecuyers, die Edelfnechte:) & homines francos, die *Freyleuth*, distinxerunt *ab hominibus inferioris ordinis*, nempe *burgensibus, Burgers-Leuthen, & servilis conditionis, Dienstbaren Leuthen*, quorum ulteriorem subdivisionem, NB. maximè *pro districtibus germanicis*, dant art. 7. & 8. *Veneben den Geisslichen, vom Adel, Freyleuth, und Burgerchaft, hat es Leuth von leibeigener condition, insonderheit in den teutschen Quar-tieren, unter welchen etliche sich Leib-eigenschaft-Leuth*

nennen, andere Schafft = Leuth, andere Dienst = Leuth, welche alle niedrigen Stands, und dienstbarer *qualität*, und dem Lands = Fürsten, und ihrem Schafft = Herrn mit unterschiedlichen Verpflichtungen verbunden seynd, inmassen solches in einer jeden Probstey, und Herrschaft observiret, und das unter hergebrachten gewöhnlichen poenen im Fall des Wiederhandelns. In ermelten teutschen Quartieren hat es noch Leuth, gewöhnlich Freyschaffts = Leuth, und Zinsleuth genennt, die nicht so niederen Stands seynd, als die voriger sondern ihre Pflicht = Schuldigkeiten seynd den Zins = Contracten, oder aber den Erb = Beständnussen, ähnlich. In *Tit. 2. art. 3.* describunt consequenter *pradia servilis conditionis*, die Leib = eigenschaft = Güter, und Schafft = Güter, eorūque naturam, & *art. ult.* jubent, ut quoad *Curmedam*, ejuſdemque speciem, *mos antiquus*, sine quāvis innovatione, servetur. Si in unāquāque patriā Germaniæ sic essent discriminatæ personæ, eorūque possessiones per Statuta provincialia, nec putaret rusticus, se esse hominem perfectè liberum instar burgenſis civis, nec patrii causarum, imò & interdum iudices, in jure germanico propriæ suæ patriæ parū versati, sustinerent, rusticos passim esse proprietarios, & pleno jure dominos suarum terrarum arabilium, & sylvarum, injungendo dominis, velut servitutum in alieno prætendentibus, grave onus probandi. De potestate Principis circa sublationem decimi denarii consule *Leyserum specim. 104.* ad Pand., ubi Facultas juridica Helmstadiensis mense Octobri respondit pro Nobilitate Equestri Rhönæ, & Werræ contra Edictum Cardinalis *Bernardi Gustavi*, Marchionis Badensis, quā Principis Abbatis Fuldenſis, de an. 1671., reducens 10. de 100. *Lehn = Geldes*, & alios 5. florenos *Fall = Geldes*, (Bavari vocant *Anfall = vel Anstand = Geld*, & solvitur ab emptore) ad 6 $\frac{2}{3}$. florenos. Confer *Perill. de Obliſpurg junioris differentias jur. Bavar. à jure com. Tit. 21. art. 21.*, ubi quidem Dux Legislator, regulariter fixit pro laudemio 5. de 100., expressè autem cavet, ut

sicut *minor* summa, si consuetata sit, permanebit, ita quoque *major*: & subjungit clariss. Interpres, in Bavaria interdum solvi 7. imò 10. de 100. *denen Grundherrn*. Nempè, sicut Præses provinciæ non potest ex rusticis aliorum inferiorum dominorum servis, licet sibi territorialiter subditis, absque eorum consensu, facere homines liberos, ita neque tollere jura pridem quæsitæ circa prædia rustica; imò sustinet loc. cit. *Leyserus*, quòd, si ipsemet Princeps emeret curtarium aut censuale prædium, à domino fundi, subdito licet suo, obnoxius fieret, tam in accessu, quàm in recessu, non secùs ac colonus rusticus. *Arg. l. 8. C. de exactor. trib.*

XI. *Laudemio honorant* (à Gallico: *ventes & honneurs* hoc verbum assumo) dominos suos *fundales, censuales, feudales, emphyteuticos, cum perpetuitate elocantes, ihre Grund-Herrn, Grund-Zins-Herrn, Lehn-Herrn, Erb-Lehn-Herrn, Erb-las-Herrn, sive privatos, sive insuper jurisdictione pollentes, homines curtarii relevantes, censuales, qui in recordiis justitiarum dominicarum, statutis, & consuetudinibus locorum, audiunt Hofleuthe, * Lehnleuthe, ** Zinsleuthe. ****

* *Curtarii* dicuntur hi à *curte Hof, Hof*, prout villici à villâ, ad quam pertinent, sive *curtis* significet unum aliquod particulare prædium rusticum, sive collectionem omnium alicujus territorii, sæpè considerabilis, & populosi; unde hodiernum magnæ communitates rusticanæ nomen *curtis* retinuerunt sub Intendente, qui vocatur *der Hof- oder Hofs-Meyer*, e. g. *der Hof Meckel*, in Luxemburgico 7. vel 8. villarum, quas vulgò vocamus *Dörffer*, *der Hof Alzweiler* in Lotharingico 7. villarum, *der Hof Nalsbach*, Imperii, constans quinque villis, & cæteræ plurimæ curtes.

*** **Lehn- Leuthe** latius hic accipiendi sunt, quàm homines proprie
 feudales, sive *vasalli*, videlicet, pro quibuscumque habentibus jus
 prædiale *ex permanente*, non transeunte, *domini prædialis concessione*;
 Germanis enim omnis res immobilis, *jugiter movens à quodam*
domino, vocatur ein **Lehn**, propter inopiam verborum, ut studen-
 tes juri germanico pridem observârunt. Vid. *Weslarische Wes-*
ben- Stunden, part. 4. pag. 38. Tunc verò isti homines erunt
 proprie *clientelares*, sive feudales, cum jurant fidelitatem, ac renova-
 tiones consueverunt facere *ad normam juris feudalis*; &, si inter
curtarios numerentur, solvent illi in alienationibus ut ceteri: nu-
 merantur autem, qui in placito curtis communi, als **Gehöfere**,
 comparere tenentur instar aliorum. Per Galliam *quicumque Vasalli*,
 etiam nobiliores, in alienationibus solvunt laudimia, & sæpè qui-
 dem *graviora*, quàm *cenсуales* homines: Consuetudines *Parisien-*
§. 33. ob venditionem feudi tribuunt domino directo *quintum*.
 Consuetudines *Aurelianenses* cap. 59. *quintum*, & *requintum* dena-
 rium, *Bituricenses* Tit. 4. §. 5. *Annatas*, sive fructus unius anni.
 Per *Germaniam* Vasalli nobiles non solvunt laudimia alienationis.
Lehen- Leuthe porrò vocantur, a) Habentes prædia *colonaria per-*
petua, sic nuncupata à *colono*, id est, agricolâ fundi colendi con-
 ductore *l. 25. §. 6. ff. loc. cond. l. 37. ff. de A. vel. A. P. l. 30. §.*
1. ff. de us. & usufr. leg. Quoniam verò tam Justinianæo juri, quàm
 moribus nationum, locatio conductio *alia temporalis est*, alia *perpetua*,
l. 1. 2. 3. ff. si ager vectig. l. 10. C. de loc. cond., ita *duplicis gener-*
is prædia resultârunt, *ad tempus locata*, die **Laß- Güter**, & *lo-*
cata in perpetuum, die **Erbläß- Güter**, **Erb- Beståndnüssen**,
Erb- Verlassungen, quæ in Consuetudinibus *Luxemburgensibus*
 Tit. 2. §. 19. nominantur *Arventemens perpetuels*. Cum igitur
 conductor tantum sit *in possessione cum jure ad rem*, non *possessor*,
 minus dominus, *l. 10. §. 1. ff. de A. vel. A. P.*, licet exemplo su-
 perficiarii *utiles in rem actiones* habeat, *l. 1. ff. si ager vectig. l. 16.*
§. 2. ff. de pign. act., videre est, ejusmodi sint illi homines, qui
 in recordiis nostris vocantur, **Hoif- Leuthe**, **Lehn- Leuthe**

Gehübere, Gebrüchere der Schafft- und Hub-Güter, videlicet *conductores seu coloni perpetui*; quin aliquid faciat ad rem, quod jus suum transmittant ad hæredes quoscunque, imò & sæpè inter vivos, irrequisito domino, alienent, salvâ tamen semper qualitate prædii, & dominio concedentis. b.) **Lehn-Leuthe** vocantur, qui relevant ab alio bona in *emphyteusin*: hic contractus non est Germanis domesticus, sed græca creatura *Zenonis Imp. §. 3. Instit. de loc. cond. l. 1. C. de jur. emph.*, sive ex receptione Justinianæ juris, sive per jus canonicum *cap. ult. de locato*, inde à Sæc. XIII. in Germaniam quoque introducta, cujus nequidem hodie habemus in linguâ nostrâ nomen characteristicum; dum enim alii, qui Gallicè loquuntur, cum Consuetudinibus Luxemburg. *tit. 2. §. 19.* ejusmodi fundos vocant *biens emphyteotiques*, nos alia verba ignoramus, quàm **Erb-Lehn-Gut, Erb-Lehn, Erb-Pacht, Erb-Bestand, Erb-Recht**: at nõnne hæc ipsa nomina quoque cadunt in locationem conductionem perpetuam? Eo autem, quod *emphyteusis* sit *ex jure* nobis peregrino, post alias prædiorum, colonis pridem datorum, qualitates modò superveniens, in dubio non præsumetur, sed *signis suis characteristicis* probanda erit, videlicet 1.) ex *protimisi*, 2.) ex liberâ *post protimisi*, per bimestre neglectam, alienandi facultate, 3.) ex *caducitate* ob non solum canonem. Credam sanè, dominos fundorum semper malle bona à se moyentia dici *emphyteuses juris communis*; sed cauti curtarii hoc negabunt, potiùs jure coloniae perpetuae contenti, utpote idem, quod utile dominium, & *citra odiosa*, quæ *emphyteusis* continet, *in effectu* importante. c.) **Lehn-Leuthe**, vocantur **die Zinsleuthe**, de quibus mox in sequente notâ.

Zins-Leuthe, homines *cenfuales*, & bona *cenfualia, biens cenfuels, zinspflichtige Güter*, sunt propriè illa nomina, quibus omnes Galliae consuetudines imponunt denarium laudemialem, juxta *feodales* homines. Sed hic tollenda est idea æquivoca, quam illa *bona cenfualia*, de quibus *Extravagantes 1. & 2. de empt. vendit. int. com.*, nobis ingerere possent, dum scilicet quis super *alieno, à se neutri*

quam movente prædio emit censum realem, quem *constitutum* vocant Doctores, aut etiam, dum quis fundum proprium *semel pro semper* purè erga censum *reservativum* alienat: hæc bona utique non subsunt laudimiis, quia non dantur eâ lege, ut *identidem* moveant à dante. Sermo noster est de bonis censualibus, *primùm profectis à domino, deincepsque semper ab eo moventibus*, sive recognoscendis ut à domino: in hisce dominus concedens hoc ipso retinet sibi *directum saltem dominium*, quòd semper ab eo movere, recognosci, ac recipi debeant, secus enim concipi nequiret, quâ ratione quis in Consuetudinibus vocaretur *dominus censualis, & prædiorum censualium*. Unde *census acceptio ex fundo* est in Gallia signum domini in fundo; & homo, qui eum dat ex tali prædio, vocatur *tenancier, tenementarius, ein Inhaber, ein Gebraucher*. Hæc bona longius antecesserunt *emphyteusin* Romani juris, quàm ut eis hoc nomen peregrinum indi possit. Vide *Heinec. Elem. jur. germ. lib. 2. tit. 2. §. 43.*

XII. *Non tamen omnes in nostrâ Germaniâ, & Treviratu curtarii relevantes sunt dominis suis directis, aut proprietariis, de nummo laudemiali majore vectigales, * sed hi solum, quibus hoc debitum vel lex conventionis, vel mos imposuit. ***

• Laudemium non fuit apud nos Germanos *per se, & velut aliquod naturale contractus*, ex concessione prædii *censualis ac moventis*: hinc videmus, quàm plures dominos fundales hoc jure carere, imò eundem sæpè dominum in hac quidem curte suâ isto gaudere, in aliâ verò non; videmus, ferè plurimos tantùm habere decimalem denarium *ex lignis sylvarum divenditis, ex aliis rebus non: nonnullis dominis soli emigrantes* eundem solvunt. Per Lotharingiam *frequentior* est ejus usus, per Galliam *frequentissimus*: tantùm ibi solent immunia esse prædia *cavi pretii, de Cber-cens, i. e. quorum census annuus ferè par est pensioni locationis temporalis. A regniis*

laudimiis *personale* privilegium habent Equites Ordinis S. Spiritus, Magistri libellorum supplicum, regiarumque rationum, Secretarii Regis, ac eorum viduæ. *Dictionnaire de Trevoux* verbo: *lods*.

Plerumque præstationem istam enunciant Recordia, e. g. Olckenbacense de an. 1518. *Och mach nemans eynich Hoiffs Gutter, gehoerig zu dem Hoiffe von Olckenbach, verusseren, verpenden, verkeuffen, noch och verwesselen, sonder Wissen, Willen, und Berhechnus der Herren. So Emans sulchs zuthonnet, fall er das dem Scholtessen verkunden, und ain eme Erleubfnus von wegen syner Herren geshinnen. Alsdan sulches gescheet, verkaufft, oder verwesselt wyrd, davon ist er schuldig den Herren ein Bestheubt. Non existens recordium, aut silens, supplet mos saltem 30. annorum, ut infra §. ult.*

XIII. Unde hodie omne probationis punctum absolvitur hoc ferè themate: *est censuale prædium à me movens, mos fert in hac curte, de qua tu es, ut solvatur tale laudemium; quin sit operosius disputandum, an prædium sit feudale, emphyteuticum, vel colonarium, sive, an possessor habeat dominium utile, nécne.**

Determinationes *specierum* in his ac similibus facere, est se tricus & altercationibus fori exponere; nam propter antiquitatem temporis, aut contractus non satis luculentè nominatos, sæpè difficile est, infimam alicujus prædii speciem, sive characterem, cum certitudine eruere: illud videtur esse certum, quòd, quæ prædia hodiernum dant *censum*, & *laudimia*, olim, quando rustici nostri adhuc erant *homines proprii*, à dominis possessa fuerint *jure proprietatis*, & *servitutis*, ut de suo prædio in Olckenbach loquitur nobilis homo, Hugo de Hachenvels, in donationis chartâ de an. 1075. *Hist. dipl. Trev. Tom. 1. pag. 418.* Stante servitute curtariorum, dice-

bantur ista prædia Leibeigenschaft-Güter, remissâ, Schafft-Güter.

XIV. Deficiente more, non introducetur iste denarius per *argumentationes extensivas* ab uno ad aliud; * sed, stante more *curtis summam*, benè urgebitur contra *renitentem particularem per comprehensivam*. **

* E. g. Non 1.) à censu ad laudemium, 2.) Non à laudemio *minor* ad laudemium *majus*. 3.) Non à *Curmedâ mortuariâ*, sive *optimali ob mortem capitis familiae*, ad *Curmedam alienationis*. 4.) Non ab *anseribus S. Martini*, *Martins-Gânsen*, nec à *Gallinis carnis-privii*, *Fastnachts-Hünern*, ad decimum nummum; quare jam alii cum *Befoldo*, & *Herzio* notaverunt, *parcemiam*: *Die Henne trägt das Handlohn auf dem Schwanz*, sive, *prædia, quæ dant gallinam, sunt laudemialia*, non esse universalem; ad summum inferretur gallina ad *minus* laudemium. 5.) Non à curte *unius* domini ad curtem *alterius* domini, imò nec 6.) à curte *unâ* ejusdem domini ad curtem *aliâ*. Ratio istorum omnium est, quia *consequentia* istæ persæpè fallunt, ut rerum experientia docet.

** Nempè à *toto ad partem*, puta, si curtis *plurium censualium summam* det decimum denarium, tunc *unus alterve curtarius particularis* se non potest eximere, nisi de *exemptione suâ* docent, ne contra *axioma* juris una eadèmq; generalis curtis quoad suos tenimentarios *diverso jure* censeatur, *arg. cap. 30. de decim. cap. 22. de privil.*, atque ut idem juris sit in parte, quod est in toto. Et hoc argumentum eò fortius urgebit pro domino, quando omnes curtarii vivunt *eadem recordio*, intersunt eidem placito *annali*, *Jahr-Geding* dicto, & maximè, si cuncti, nullo excepto, in *communem maliciam* conferant *annuum censum* domino præstandum. Sic, & non aliter, accedo *Leysero* medit. 6. ad Pand. specim. 104.

XV. Quando *curtarii* ad decimum nummum *sum-*

pliciter, & absque restrictione ad certum genus rerum,
 sunt adstricti, dabunt eum ex *quibuscumque rebus*
soli, vineis, agris, pratis, hortis, areis, horreis, do-
mibus, etiamsi nudam sine ædificio aream eis dedisset
 dominus. *

* Licet magna domus, aut turris alta esset, nisi recipiens aream
 expressè aliud sibi reservasset. Ita *Jason* ad l. ult. C. de jur. emph.
 num. 44. *Nicol. Boër.* ad *Consuet. Bituric.* Tit. 4. §. 19., *ex ratione,*
 quia ædificium solo cedit. l. 1. §. 4. & l. 2. ff. de *superfic.* §. 29. &
 30. *Inst. de R. D.,* consequenter censuale efficitur, sicut ipsum so-
 lum. Veruntamen rigidæ huic rationi civili meritò mihi videtur
 in praxi intercedere debere æquitatis temperamentum, ne ædifi-
 cans sit in nimio damno, & dominus in excessivo lucro l. 14. ff. de
condict. indeb. Quòd si fortè censualis destruxisset domum à se ædifi-
 catam in areâ vacuâ, & postea vendidisset ligna, alibi denuò in
 domum construenda, prout multi rustici vehunt dissolutas domos
 de villâ in villam, ad nihil teneretur domino, quia pro suo jure
 ex re immobili fecit mobilem. Vide *C. Molinaum* Tit. 2. *Con-*
suet. Paris. de Censive §. 78. *glos. 1. num. 191.*

XVI. Dare multi tenentur non solùm ex *integro*
 fundo alienato, sed etiam ex *partibus* fundi, in res
 mobiles *reductis,* uti ex lapidicinis, von *Steinbrü-*
chen, cujuscunque generis, *camentitiorum, Mauers-*
Steinen, quadratorum, sive *structilium, Hau-Stein-*
nen, molarium, Mühlenstein, quos inter nobiliores
 sunt *Campani, cotium, Schleiff-Steinen, tegularium,*
 seu *scifsilium, Lenen-Steinen:* * imò *quibusdam* in
 locis, ubi nempè *ad regalia* non trahitur, sed *privatis*

quoque relinquitur, ex metallo fossili ferrario,
Eisenstein. **

* Ita per insignes dynastias *Bruch*, & *Scharffbillig* Luxemburgici; nec non in *Naurath*, *Aynrath*, *Winterbach*, *Föbren*, *Trevirensis* territorii; neque enim lapides in fructu sunt, nisi renascantur, ut de marmore in *Galliâ*, & *Asiâ* testatur *l. 7. §. 13. ff. de fund. dot.*, sed eruendo lapides auferitur simul pars proprietatis domino, quâ de causâ in *l. 13. §. 1. ff. commun. præd.* jam olim debuit solvi *solarium*, & in *l. 3. C. de metallar.* præter *decimam fiscalem* etiam *dominica*. Neque hic distinguitur, utrum fundus fuerit *sub lapidicina nomine* in censum datus, ut in dote distinguit *l. 8. ff. solut. matr.*, utrum *sub nomine agri, vineæ*, & postea inveniatur in eo lapidicina. Equidem *l. 9. §. 2. & l. 13. §. 5. ff. de Usufr.* tribuunt usufructuario in lapidicinis cædendi lapidis potestatem, ut videatur lapis esse in fructu; veruntamen neutra lex contra præcitatitas ait, eum esse fructum, utraque solum explicat, quem usum ex his facere possit ille cui *legatus* est fundi usufructus.

** Ita solvitur ex hoc metallo per prænominatas dynastias *Bruch* & *Scharffbillig* decimus nummus domino fundali, unoquoque rustico liberè fodiente lapides ferrarios, quemadmodum jure Romano quilibet in suo fundo poterat *auri, argenti, sulphuris, æri, ferri*, & cæterorum *fodinas instituire*, & *exercere* *l. 13. §. 5. ff. de usufr.* salvâ decimâ fiscali. Sed hæc *regalibus* reservavit mos nationum, etiam quoad *ferri lapidem*. Aurea Bulla *Caroli IV. Imp. cap. 9.* Adde *Sixtinum* de *Regalib. lib. 2. cap. 16.* per tot., & maximè *num. 34.* Mei instituti hic non est explicare, quousque *fodinae auri, argenti, stanni, cupri, plumbi, ferri, salis &c.*, quas enumerat *loc. cit. A. B.*, in *privatis* fundis sint regale, vel non; sed tantum, quòd illorum metallorum, quæ de usu regionis licitè fodiuntur à possessoribus prædiorum censualium, decima debeat domino fundali.

XVII. In *Luxemburgico* frequentissimus, in *Treviratu* frequens est nummus decimalis de cæsis & venditis sylvarum arboribus; quod jus nonnulli domino censuali negant simpliciter; ** alii ad *decimas ecclesiasticas* referunt; *** alii domino fundi in *caduis* sylvis abjudicant, in *non-caduis* attribuunt. ****

In locis supra §. XVI. not. 1. descriptis, nec non vastâ Satrapiâ S. Maximini, viget iste decimus denarius. Computus Cellerariæ S. Simeonis quoque exempla ejus continent, ad an. 1717. den 6. May haben Vincens Schmis, und Peter Scheul, beyde von Wischpelt, wegen verkauffter 9. Bäumen uff Berespathen Busch, Olfenbacher Jurisdiction, den 10ten Pfening zahlt per 1. Rthlr. 27. alb. Ad an. 1727. Johannes Schläfer von Olfenbach zahlt von drey verkaufften Bäumen den 10ten Pfening mit 21 alb. Consuetudines Luxemburgenses tit. 4. §. 46. vocant vom Haw der Busch dem Grundherrn scheinende Berechtigkeith, justitiam domini ex sylvis cæsis. Habent interdum præter nummum decimalem domini fundales insuper in sylvis communitatum sibi censualibus, tam quoad ligna combustibilia, quàm quoad vendita, *pro suis curiis in loco curtium consistentibus* duplex jus communitatense, ein doppeltes Innungs-Recht. Interdum domino fundali competunt in omnibus lignorum, aliarumque rerum communitatis censualium, sive vendantur, sive non, distributionibus, *duæ tertiæ* rerum in naturâ, vel pretii, ut in clyto Ordini Teutonico in curtibus, Beckingen, Pachten, Haustatt, Hontzerath, Memmesborn subinde *una tertia*, ut eidem cello Ordini in Rollingen, Hindlingen, Eschringen.

Molinaus ad Consuet. Paris. tit. 2. de Censive §. 78. gloss. 1. num. 191. negat deberi, etiamsi *grandes arbores, vel nemus altum & antiquum*, quod nos dicimus *Hohwald*, *nudo solo retento*, venderetur. Hoc verum, si quis censualis principio nudum duntaxat solum ac-

cepisset, & in eo sylvam sevisset, aut plantasset, sicut *Molineus* loquebatur de *edificio*, quod censuali in acceptâ arêâ vacuâ struxit, & rursus sustulit. Sed, quid si ille non tam *solum*, quàm *sylvam* sub nomine *sylvæ* accepisset? sanè *Molineus*, tum loc. cit., tum §. 74. glos. 2. num. 3. & 5. docet de *edificio*, *stagno*, *molendino*, si ista quâ talia censuali vinculo accepta forent, non posse absque consensu domini destrui, aut in aliud converti: idem, credo, erit de *sylvâ*, quâ tali. Illud saltem quæritur: an, *sylvâ* manente, & secundum forestales regulas *casâ*, dominus fundi decimum nummum jure prætendat. Qui negant, supponunt arbores esse *fructum fundi*; ex fructu non datur laudemium: sed suppositio non subsistit; nam, si arbores in fructu essent, *usufructuario* liceret, tum *grandes cædere*, tum *vi ventorum evulsas* tollere, ac vendere, quod utrumque negant l. 11. & 12. ff. de *usufr.* Nempe *sylva* non est *solum aliquod germinans, aut ferens arbores*, sed est *solum & arbores in eo*, sicut *vineâ* est *solum & vites*, *olivatum* *solum & oleæ*, *pratium* *solum & cespes*: *ager* econtra non est *solum & aristæ*, sed *solum proferens aristas*: evelle ex agro omnes stipulas, bulbos, radices, manebit *ager*: extirpa verò ex *sylva* omnes arbores, ex *oliveto* omnes oleas, ex *vineâ* vites, cespitem aufer *prato*, desinet esse *sylva*, *olivatum*, *vineâ*, *pratium*. Arbores ergò non sunt *fructus sylvæ*, sed *pars constitutiva*, & quidem *pars*, loquelâ *scholæ*, *formalis*, à quâ *solum* potius denominatur *sylva*, quàm aliquid aliud: sunt *pars rei immobilis*, ad eò, ut arborum cæsiōe fundus ipse deteriorari possit l. 10. ff. de *usufr.*, & interdictum quod *vi*, aut *clam*, *ratione arborum*, & *vitium* detur, secùs quàm *fructuum* causâ l. 7. §. 5. & l. 16. §. 1. ff. *quod vi aut clam.*, imò & propter solos ramos arborum l. 9. ff. *eod.* Jam subsumo: quoties res immobilis, aut pars ejus, venditur, domino pro licentiâ cedit laudemialis denarius. Non interest, cui vendatur arbor, *pavi curtis*, an *extraneo*, sicut nec in agris, *vincis domibus*,

*** Ad has non nisi ægerrimè, ac violentè; nam. 1.) Cùm canones jubeant dari decimas de pomis arborum can. 5. XVI. q. 7. de fructibus

ribus arborum cap. 22. de decim., altum apud eos silentium de *decima ipsarum arborum*, vel lignorum, sicut nec de fodinarum decimis. Cap. 4. eod. & cap. 7. de pact., quæ in contrarium allegantur, hoc non probant: cap. 28., quod vult dari decimas, si vendatur domus, ager, vinea, clibanus, molendinum, grex, aut quælibet merces, includit quidem & decimas lignorum, lapidum, æris, ferri, sed non aliter, quàm si vendantur, id quod evidenter pertinet ad decimas personales, aut nunquam receptas, aut pridem abolitas. 2.) Nostræ decimæ lignorum tunc solùm obtinent, cum ligna venduntur, non, dum ad necessitatem curtis, vel curtarii adhibentur; atqui, si essent decimæ ecclesiasticæ prædiales, deberentur simpliciter decimus manipulus ligni. *Rebuffus, Azor, & alii* apud P. *Friderich* de decim. num. 511. 3.) Nostræ decimæ sunt creberrimæ, lignorum ecclesiasticæ rarissimæ, adeò, ut jam an. 1520. *Carolus V.* Imp. pro Belgio editâ constitutione eas recensuerit inter insolitas. *Van-Essen* Jur. eccl. univ. part. 2. tit. 33. cap. 2. num. 16. 17. 28. 4.) Sic domini fundorum non deberent eas habere soli, sed pro ratâ duntaxat decimarum ecclesiasticarum unâ cum condécimatoribus.

Sylvæ distinctio in *cæduam*, & *non-cæduam*, quam Justinianæum jus facit, hic quidem non est temnenda; sed *crimenon decisionis* non facit in ordine ad laudem ligni venditi: sit enim sylvæ, non solùm *arbustorum*, sed etiam paulò *majorum arborum* 30. vel 40. an. de se *cædua*, ein *hau- und hiebiger Wald*, den man pflegt *Schlagweis zu hauen*, & quæ in hoc habetur, ut per vices cædatur, aut quæ succisa rursùs ex stirpibus, aut radicibus renascitur l. 30. ff. de V. S., cujus generis in Trevis, & viciniâ præcipuè sunt *arbuta cædua*, *Rotthecken*, *Rotland*, *Rotbüsch* vocata, quæ dum per 12. 15. 18. 20. annos, prout soli est diversa fertilitas, succreverunt, cæduntur, solum aratur, seritur grani, panici, siliiginis, avenæ, tres per annos, instar agri, dein rursùs sylvescit: sit, inquam, sylvæ *cædua*, an illicò censualis vendere ligna poterit absque consensu domini? sanè hoc l. 9. §. ult. ff. de usufr. non di-

cit; potius autem mecum distinguit, an *sylva cædua per se*, & *prop-
 ter se* data fuerit in usumfructum, an verò *propter alium fundum*
 in primo casu usufructuarius *cædet, vendet*, aliàs parum utilitatis
 habiturus: in secundo cædet, non vendet: en textum: *instrumentum
 fructum habere debet, VENDENDI TAMEN FACULTATEM NON HABET*
*nam & si FUNDI USUSFRUCTUS fuerit legatus, & SIT AGER, UNDE
 palo IN FUNDUM, cujus ususfructus legatus est, solebat paterfamilias
 UTI, vel salice, vel arundine, puto, fructuarium HACTENUS UTI posse. NE
 EX EO VENDAT; en casum sylvæ cæduæ pro usu fundi: vide autem
 mox ibi alium sylvæ cæduæ per se legatæ, aut datæ casum: nisi forte
 SALICTI ei, vel SYLVÆ PALARIS, vel ARUNDINETI USUSFRUCTUS sit
 gatus; TUNC enim & VENDERE potest; nam & Trebatius scribit, sicut
 VAM CÆDUAM, & arundinetum posse fructuarium CÆDERE, sicut pater
 familias cædebat; & VENDERE &c. intelligendo, si cædua sylvæ sit
 res per se & principaliter in usumfructum data, non, si concomitan-
 ter, & propter aliud principale. Sic etiam usufructuarius villæ arbo-
 res evulsas, & vi ventorum dejectas in sylvâ ad villam pertinentem
 tantum potest ferre ad usum suum & villæ, ejusque refectionem, item
 calcem coquere, arenam fodere, aliudve quid ædificio NECESSARIUM
 sumere l. 12. ff. de usufr. Cum marito, qui fundum accepit in dotem,
 quoad arbores paullò largiùs agunt leges, quia sustinet onera mat-
 monii in utilitatem ipsius quoque uxoris: hinc distinguitur, an arbor
 fundi dotalis sit in fructu, vel non, l. 32. ff. de jur. dot. l. 7. §. 7. & l. 12.
 ff. sol. matr. ubi; si fundum viro uxor in dotem dederit, isque inde ar-
 bores deciderit, SI HÆ FRUCTUS INTELLIGUNTUR, dici oportet, ut
 FRUCTU CEDERE, sin minùs, quasi deteriorem fundum fecerit, maritus
 tenebitur: cedent autem in fructu, si arbores CÆDUÆ fuerint,
 vel GRÉMIALES, quas l. 55. §. 4. ff. de legat. 3. gremia, foris
 rectiùs cremia, Brennholz, appellat, tenuia admodum ligna, et
 comburendum apta. Brissonius ad hoc verbum. Nunc ad nostrum
 colonos censuales. Non licet his 1.) ex sylvâ non-cæduâ arbores
 fine licentiâ domini cædere, multò minùs vendere; sunt enim res
 immobiles, sicut ipse fundus, non fructus fundi l. 11. ff. de usufr.*

non ad cædendum & vendendum destinatae, sed ad glandes ferendas, & ad ædificandum, & fulciendum *d. l. 55. princ.* Ex his igitur venditis dabuntur laudemia. Veruntamen 2.) ex tali etiam sylvâ non dabuntur, si arbores demortuæ solùm vendantur, & eis substituantur aliæ; sunt enim ejusmodi homines ad minus conductores perpetui, conductori autem idipsum licet *l. 45. §. 13. ff. de jur. fisc.*, nec sunt deteriores fructuariis, quibus hoc concedit *l. 18. ff. de usufr. 3.*) Etiam ex sylvâ cæduâ nihil vendent, & si quidem hoc annuente domino fiat, solvent laudemium; quidquid enim sylvarum istis curtariis à domino, separatim à reservatis dominicis sylvis, datum est, propter curtem est, pro focis, palis, septis, pedamentis, cæterisque villici, & villæ necessitatibus, ordinariis, extraordinariis, præsentibus & futuris, non, ut lucrum venditionis fiat. Arg. *l. 10. ff. de usufr. l. 6. §. 1. ff. de S. P. R.* Quapropter etiam ex cæduâ sylvâ deberi laudemia, docet Nic. Boërius ad Consuetud. Bitur. tit. 4. §. 5. Neque in praxi attenditur, an sylvâ cædua sit, vel non cædua, sed, an sylvâ propter curtem sit, & cædatur ad venditionem: illud verò dissimulant domini fundorum, quòd censuales rustici de lignis sylvæ communis, propter usum curtis & familiae casis, & distributis, postea parsimoniale vendant, sibi à combustione residuum.

XVIII. Pretium venditionis, aut æstimationis, est presentis cujusque temporis, varians ascendendo, descendendo, non pretium primitivum temporis contractûs, * consequenter nec moneta primitiva, sed quæ pro tempore alienationis ut proba currit; ** quin debeat ejusdem esse speciei, super quâ venditor, & emptor convenerunt. ***

* Quia casualia judicantur secundùm quòd fert casus, donec lex, vel consuetudo, aut conventio, causam à qualitate casuali non exempt,

dicendo e. g., pretii, quod fuit *ab initio*, certam partem solvendam esse. Unde licet censuale prædium tempore concessionis tantum valuisset 500. florenis, nunc autem 2000., ad hanc mensuram solvenda debet laudemium: ita in contradictorio judicatum esse refert Perillus de *Cblingensperg* junior in different. jur. Bavar. à jur. com. Tit. 2. art. 21. num. 6. Et est praxis, quæ in computibus clarissimè apparet. Attenditur autem pretium *verè conventum*, non *simulato*, dum fraudem laudemii plus solutum, quàm scriptum esset. Quæ ex *pretium* sunt, non computantur, ut *jocalia* uxori venditoris data pro renunciatione hypothecæ, *das Verzicht-Geld, das Spengel-Geld, & arrha*. De quibus secundariis quæstionibus consule C. *Molinaum* ad Consuetud. Paris. Tit. I. §. 20. gloss. 9. num. 3. Tit. II. §. 78. gloss. 1. num. 136., & gloss. 5. per tot.

** Excipe, nisi *semel pro semper* fixa fuisset *certa pecuniæ quantitas*, prout in multis prædiis relevantibus superioris Germaniæ usus est, refertque prælaudatus de *Cblingensperg* loc. cit. num. 5., alicubi *in Bavariâ* non refertur ad pretium, sed *summatim* pro laudemio semper dari 10. 20. aut 30. florenos; & in Baroniâ *Bruch Ducatus* ferè per totum Luxemburgici, censuales villarum, *Orenboven, Dauffenbach, Gransdorff, Heidweiler, Münster, & Dirscheid*, quoties mutatur manus, solvunt unum florenum auri per 6. capirellis, tunc enim, monetâ recentiore factâ deteriore, compensabitur bonitas intrinseca monetæ, quæ fuit tempore contractûs, *cap. 20. §. penult. de Censib.* Nisi hoc præscriptum sit, ut floreni hæctenus accepti fuerint, prout pro tempore currebant, *cit. cap. 20., & servit notabilis textus in l. 5. C. de usur.*

*** Quia nulla lex vel consuetudo adstringit nummum laudemiale ad *qualitatem* pretii nummarii, sed tantum ad *quantitatem*; hinc licet convenerint partes pro mille aureis in auro solvendis, laudemium tamen poterit solvi in monetâ vulgari argenteâ, reducendâ ad hanc aureos. C. *Molinaus* ad Consuet. Paris. §. 78. gloss. 1. num. 2.

XIX. Laudemium *minus* solvet *novus* colonus curtarius, * *majus* autem *venditor recedens*, ** nisi aliter inter eos convenerit, & quod plerumque præstat, dominus *emptorem* pro utriusque solutione acceptaverit. ***

* Hic enim recipitur, & inscribitur; ergò & pro eo, quod suâ gratiâ fit, hæc jura solvet: ita *Glossa* breviter & verè ad l. 3. C. de jur. empb. verbo: *accipere*. Sic praxis, salvo, quod supra §. VIII. dictum, de *utroque* interdum hoc modicum *solvente*, exeunte nimirum & ingrediente. Confer statutum Bavaricum tit. 21. art. 21., approbans particularem consuetudinem, siquidem notoria sit, quâ à decedente solvitur *die Abfahrt*, ab accedente *der Anstand*, oder *Anfall*.

** Plerique Authores *Galli* imponunt quoque *majus* laudemium humeris emptoris quoad prædia *consualia*, secus quoad *feudalia*. Consuet. Paris. §. 33., Barth. *Obarseneus* ad Consuet. Burgund. rubric. 11. §. 1. addens, hanc consuetudinem esse *satis crudam*, & rectè; à quo enim dominus sibi stipulatus est denarium laudemialem? Nónne à suo homine consuali, dum nequidem noverat emptorem? *Pro vendis* est: ergò solvat is, qui vendit: *pars pretii* est, hoc totum promittit emptor venditori, non domino, qui contractui non interest, neque unus est de contrahentibus. C. *Molinaus* ad Consuet. Paris. Tit. 1. §. 33. *Gloss.* 2. num. 6. faterur, se non videre rationem, cur *vasallus venditor* solvat laudemium, non item *homo consualis*; sed & Consuetudo *Meldensis* tribuit hoc onus *venditori*, nisi hic stipulando emptorem obligarit. *Dictionnaire de Trevoux* verbo: *Lods*. Eodem teste, per Consuetudinem *Trecensem* æquis partibus *venditor* solvit *ventas*, & emptor *laudes*. Silente consuetudine, ut silet *Turonensis*, ajunt nihilominus, *ex receptâ theoreticâ* teneri emptorem, quam conantur ex l. 27. in fin. ff. de ædilit. edict. *cruere*, perperam quidem, ut examinans facillè videbit, & *loc. cit.*

num. 7. fatetur *Molinaeus*. *J*Cros *Germanos* quoque lex 3. *C. de jur. empb.* movit accedere Gallis, non reflectentes, hanc legem loqui de *laudemio receptionis*, non de *laudemio licentiæ*. Recordium verò, supra §. XII. not. 3., allegatum manifestè onerat *venditorem*. Concordant computus *Cellerariæ S. Simeonis Trevir.*, sic e. g. ad an. 1560. *Prior & Conventus in monte S. Helena* VENDIDERUNT agrum unius jugeris, situm in districtu *Edysheim*, DEDERUNT pro optimali 3. flor. Ad an. 1562. solvit *Schultetus noster in Olckenbach* nomine *magistri Hansonis Fabri in Busendorff* optimale EX VENDITIONE HEREDITATIS SUE in *Olckenbach* 6. flor. Ad an. 1564. *Petrus lapicida* VENDIDIT desolatam domum in *Olckenbach*, DEDIT ratione decem-denarii pro optimali 5. flor. Ad an. 1565. *Bernardus, nuntius S. Paulini*, VENDIDIT hæreditates in *Edem sitas*, DEDIT pro decem-denario 1. flor. 23. alb. Ad an. 1570. recepi à *Wernero* ratione optimalis de VENDITIONE bonorum suorum in *Edisheim* sitorum 13. flor. 14. alb. Ad an. 1571. *Hæredes Matbie in Niederweis* omnes hæreditates in districtu *Edisheim* sitas VENDIDERUNT *Widderstein* 237. florenis simplicibus, DEDERUNT ratione decimi denarii 20. flor. Et sic plus quàm 200. ab annis usquehuc adducere plurima exempla possem pro regulâ datâ.

*** Equidem in iisdem computibus reperi exempla non pauca, quòd emptor solverit decimum denarium. e. g. ad an. 1561. Pro optimali per alienationem hæreditatis à *Zerren-Johans* accipi per *mar-nus Kylbans Hansonis* EMPTORIS 8. flor. Ad an. 1565. *Mants-Thiso* EMIT hæreditates in *Edisheim* sitas à *Ser-Hansone*, pro decem-denario 10. flor. Ad an. 1576. *Siners-Hans* de bonis EMPTIS in nostro districtu *Edissem* 12. flor. Item *Heinen-Peter* ob eandem causam: EMIT pro 200. dedit pro decem-denario 20. flor. Occurrit etiam, quòd tam venditor, quàm emptor, simul solverint; sed ista exempla, ad exceptionem pertinentia, non officiant regulæ, per quam, si nihil dictum fuerit, venditor solus obligatur.

XX. *Alienationis*, laudemium post se trahentis,

nomine non sola intelligitur *emptio venditio*, sed etiam, nisi mos fuerit positivè contrarius, *permutatio*.*

* Hoc solent probare DD. *ex l. 3. C. de jur. empb.*, ejúsque verbis: *quingagesimam pretii, vel ÆSTIMATIONIS, tò æstimationis* adhibendo ad illas alienationes, in quibus non intervenit nummus: rectè, si de laudemio *minore*, i. e. receptionis, nam quicumque novus emphyreota hujus jura solvit pro labore investituræ, immiſſionis, possessionis, qui, sicut omnis labor, optat præmium, ut ait hic *Chassenæus*. Sed, quantum ad *majus* laudemium frustra allegatur lex ista, utpote illud ignorans, & solam protimis, nullam licentiæ alienandi dationem, domino reservans: itaque respicientur consuetudines. *C. Molinaeus* ad *Consuet. Paris.* §. 78. glos. 2. num. 6. tradit, *ex permutatione* non deberi aliqua laudemia, sicut nec *de quocunque acquirendi modo alio à verâ venditione*, tantummodo unum solidum Parisiensem, sive 20. partem unius libræ pro *investiturâ*, quæ est minus laudemium: excipit num. 10., nisi ab uno permutante ob coæquationem *præter prædium detur insuper pecunia*, tunc enim *ab hac solâ* dari consuetas vendas. Consentit *Sainsonius* ad *Consuet. Turon.* tit. 15. art. 15. additâ, ultra mox dictam, exceptione hâc aliâ, dari vendas, non quidem *consuetas*, sed *boni viri arbitrio*, casu, quo *diversi generis feuda* permutarentur. Recentiores constitutiones Regni Galliæ de an. 1673. & 74. injunxerunt vendas, dum 1.) prædium permutatur erga censum perpetuum pecuniarum, 2.) dum est permutatio bonorum generalis: antea non aliter solvebantur, quàm in veris venditionibus. *Dictionaire de Trevoux* verbo *lods*. In contrarium consuetudines *Bituricenses* Tit. 4. §. 18. voluerunt indistinctim, res, etiam *sine pecuniâ*, permutatas per virum bonum æstimari, & inde dari vendas. Et hoc est justum, quia 1.) permutatio est vera alienatio, 2.) venditioni vicina, *l. 2. ff. de rev. perm.*, 3.) vicem emptionis obtinens, *l. 2. C. eod.*, cum in eâ uterque & venditoris & emptoris loco habeatur, *l. 19. §. 5. ff. de adilit. edict.*, & is, qui rem

permutatam accipit, emptori similis sit, *l. ult. ff. quib. ex caus. in poss. eat.* Sic servant curtes censuales S. Simeonis, testantibus libris rationum: Ad an. 1553. *de optimali ex PERMUTATIONE bonorum Ranel Wilhelm de Spang 16. alb.* Ad an. 1562. *pro optimali ex permutatione factâ inter Theobaldum, & Clustonem de minderlietig. 1. flor. 4. alb.* Ad an. 1563. *de optimali Zer ven-Catharina ex permutatione hereditatum in Edisheim 15. flor.* Ad an. 1627. *Schiffer Ludwigs-Jacob ex Ufflingen ob permutationem bonorum 1. flor. 3. alb.* Ad an. 1629. *Kollers-Peter in Gypperath ob permutationem prati unius 1½. flor.* Ad an. 1718. *Johannes Schlâffer von Dlekenbach wegen eines gethanen Tausch eines Haus den zehenden Pfening zahlt 2. flor. 4. alb.* Ad an. 1724. *Idesheim den 10. Pfening von Bores Johannes von Ittel wegen eines Tausches 3. flor.* *Dlekenbach Johannes Naskopf den zehenden Pfening wegen eines Tausches seiner Gütern 2 flor. 6. alb., & notatur in Recordio hujus curtis supra §. XII. not. 3. per verba: Verkauft, oder verwelet wird.* Ita quoque aliæ curtes, nisi quod quædam non exigant vendas, quando curtarius cum curtario bona ejusdem curtis permutat. Quod Horæ subcivitate Cramèrianæ part. 31. §. 8. pag. 109. dicunt, *rard ex permutatione solvi laudemia, vix est, ut praxi Germaniæ sit conforme: de Statutis Bavariz tit. 21. art. 21. solvitur, quoties persona possessoris mutatur, hoc autem etiam in permutatione contingit.* Adde *Besoldum* in thes. pract. verbo: *Handlohn*, ubi post alios idem docet. Sed quis solvet? R. Si *utrumque prædium* sit censuale, uterque conjunctim, ita, ut si decimus denarius debeat, singuli conferant quinque: si *alterutrum* duntaxat, solus ille, qui hoc alienat; idem est, si prædium censuale commutetur rebus mobilibus.

XXI. Venit quoque *in solutum datio*, * *Constitutum possessorium ex eâ causâ*, quæ laudemio est obnoxia, ** *licet alienans sibi reservâset usufructum.*

* Joan. Saisonius ad Consuet. Turon. tit. 14. art. 18. Amadeus de Ponte quæst. laudemiali 27., & alii communiter; quia datio in solutum est vera alienatio l. 46. §. 1. de solut., imò, si rei æstimatio intervenerit, vera emptio venditio, l. fin. ff. quib. ex caus. in poss. eat., ubi accipiens rem in solutum similis emptori est, proindeque hoc negotium vicem venditionis obtinere dicitur in l. 4. C. de evict., adeò quidem, ut tam antiquis, quàm modernis, regula sit: *quidquid in jure nostro de emptione & venditione constitutum est, hoc omne ad dationem in solutum trahi debere.*

** Ex hoc non deberi vendas, voluerunt Joan. Faber in §. 1. Instit. de empt. & vend., & Guido Papæ in decisionib. Gratianopol. quæst. 101., asserens, sic servari in Parlamento Delphinatûs. Sed Tiraqueau in tract. de Constituto contradixit, cujus sententiam in praxi prævaluisse, tradit d'Imbert in Encbiridio pag. 136. Et rectè, quia, qui incipit alieno nomine possidere, is definit possidere, & alium possessorem suo ministerio facit l. 18. ff. de A. vel A. P. Hinc, cum persona possessoris mutetur, nihil superest inquirendum, quàm, *an illa causa, ad quam constitutum est possessorium, præstet laudemium, necne.*

*** Quia *usumfructum retinere* ipso jure & facto est, rem donatam, vel in dotem datam, vel venditam, *tradere*, sic, ut quid amplius non requiratur, quò magis videatur facta traditio l. 28. C. de donat.

XXII. Quod *transactionis causâ alienatur*, solvit laudemia, siquidem *transfigens possessor erat*, secùs, *si non possidebat.* *

* Sic distinguit Besoldus post alios in Thesaur. pract. verbo: *Handlohn*; quia mutatur manus possessoris ex verâ alienatione; cum *transfigens non solum dominium*, si quod fortè habuerit, transtulerit l. 1. in fin. C. de fund. dot., sed etiam *possessionem*, quam certò habuit: est simile in alienatione rei immobilis ecclesiasticæ per *transactionem*, quæ non indiget solemnitate, si ecclesia non posse-

dit, indiget, quando possedit, secundum distinctionem communem DD. Non solventur autem laudemia hoc casu secundum totius rei per possessorem transigentem abdicatæ valorem, sed secundum æstimationem juris dubii in re, quod possessor habuit; plus enim pretii non accepit.

XXIII. EX MERA donatione, cui cui fiat, deberi decimum, aliúmve denarium, in consuetudinibus non invenio; * secus ex remuneratoriâ; ** quod intelligitur si remuneratio non fuerit purum honestatis & pudoris debitum, sed justitiæ, ita, ut quis alteri saltem arbitrio boni viri condemnari potuisset, atque sic velut in solutum donet.

* Neque potest hîc duci argumentum à pari ex usibus Justiniani juris, quod lucrativas descriptiones, sive onus quatuor filiquorum, acquisitis ex titulo lucrativo imposuit t. t. C. de impon. lucrativ. descript. Hoc enim fiebat ex superioritate, ac jure tributi, favoris ararii publici.

** Consuetudo Turonensis Tit. 14. art. 15. Et pareillement (id est arbitrium boni viri æstimantis, sicut ibi præcedit de permutatione hæreditatum diversi feudi) sont deus ventes pour LES DONAIONS, QUI SONT FAITES POUR CAUSES DE RECOMPENSE; ad quam consue- tude Saisonium gloss. 1. §. deinceps, & §. nunc transio, ubi recenset effectus donationis remuneratoriæ.

XXIV. Ob donationes quoque paternas, sive simplices * fuerint, sive causales, e. g. propter nuptias, dotem, remunerationem quoque, ** laudemium non debetur.

Vel enim donat pater filio, *ad huc in paternis sacris constituto*, & non erit alienatio l. 1. §. 1. ff. *pro donat.*, sed magis *destinatio* paternæ voluntatis l. 11. C. *de donat. l. 25. C. de donat. int. vir, & ux.* Vel donat *emancipato*, & erit hujus donationis par, imò potior conditio, quàm quæ fit extraneo.

Quia parentes, quoquo modo prolibus donantes, *velut anticipant* naturale successionis debitum arg. l. un. C. *de impon. lucr. descript.*; sicut ergò in *successionibus ipsis* non solvitur laudemium, ita neque in *anticipatione earum*, cùmque liberi vivis adhuc parentibus *quodammodo domini* existimentur, §. 2. *Inst. de hered. qual.*, non censetur hîc intervenire *translatio*, sed *continuatio* domini, ut eleganter describit l. 11. ff. *de liber. & postb.* Unde etiam *Glossa* in cap. 28. *de decim.* verbo: *quasi de lucro*, postquam notavit, ex hæreditate, legato, donato, solvi debere *personales decimas*, nihilominus exemit ob dictas rationes *hæredem suum*.

XXV. Solent tamen *alicubi* parentes, dum vivi liberis suis censualem curtem, & bona resignant, wann sie das Lehn, den Hof, den Stock, die Hostert, den Hausstatt, ihren Kinderen übergeben, solvere *optimale quasi mortis*, das Best-Haubt, cùm prædio censuali quodammodo defungantur.*

* Computus Cellerariæ S. Simeonis ad an. 1555. *de optimali per resignationem bonorum margarethe in Niederscheidweiler* (ad prædium Olckenbach:) 5. flor. Item *de optimali per resignationem bonorum Churardi in Heintzerath* 10. flor. Ad an. 1559. *de optimali per cessionem bonorum Ublen, & Catharinae in Busendorff*, 3. flor. 18. alb. Ad an. 1620. *Kollers Jacob de Gypperath tradidit bona sua liberis suis, pro denario decimali* $\frac{1}{2}$. flor. Ad an. 1622. *Martins Hans von Olckenbach ob bonorum cessionem dedit pro optimali* 2. flor. 6. alb. Ad an. 1629. *Laurens Hans in Lauffelt resignavit*

bona sua, dedit 2. flor. 6. alb. Sic etiam censuales Abbatiae Thole-
jenfis optimale mortis hoc casu solvunt: simul verò atque ipsimet
liberi suis auspiciis bona sibi cessã laborare cœperint, debent illi
das Fang-Recht sub multã 2. floren., & eo ipso incipiunt
tanquam caput familiae obnoxii esse *Curmedæ mortuali*, etiam si
turbato mortalitatis ordine morerentur, juxta proverbium illis in lo-
cis receptum: **das Fang-Recht ziehet das Best-Haubt nach
sich.**

XXVI. Ex *datiõne in dotem* non solvitur decimus
nummus, quia mulier dans eam marito *naturaliter*,
i. e. in rei veritate, dominium retinet l. 30 C. de jur.
dot. cum aliis consonantibus multis; & vir *tantum
fictiõne juris*, in ordine *ad certos effectus*, constante
matrimonio reputatur pro domino rei dotalis. *Ex-
cipio*: nisi dos *æstimata* fuerit. *

* Dotis quippe *æstimatio* facit ab ipsã *venditionem*, ita, ut maritus
fiat *præcisus* debitor definiti pretii, non *alternativus* tantum, l. 10.
§. 4. 5. l. 16. ff. de jur. dot. l. 5. & 10. C. eod. l. un. §. 10. & 15.
C. de rei uxor. act., ut ceu perfectus dotis dominus eandem & alie-
nare possit, & illius subeat periculum: fiet ergo alienatio prædij
censualis in extraneum, quæ decimum nummum effugere non
potest: ita *Salicetus* in l. 3. de jur. emphyt. contra *Fasonem* ibidem,
cujus ratio est insubsistens, quæ enim est necessitas æstimandi do-
tem sine cautelã impeditivã venditionis? Quòd si *determinatè* plac-
uerit, soluto matrimonio *rem æstimatam* restitui, venditio non
erit. l. 69. §. 7. ff. de jur. dot. Quòd si *alternativè*, aut rem, aut
pretium, sive ad electionem *mulieris*, sive *viri*, de quo l. 10. §.
ult. ff. eod., non erit in *priore* casu dos vendita, quia mulier aut
hanc aut pretium, prout volet, repetere potest l. 1. C. de fund.
dot.: in *posteriore* non erit quidem *venditio*, attamen *vera alienatio*,

quia maritus dotem hoc pacto datam liberè potest alienare l. 11. ff. eod. In *priore* casu jura accordamenti non debebuntur *statim*, sed tunc demum, quando mulier pretium maluerit, in *posteriore* autem mox ut tradita est dos, quin exspectetur futura mariti determinatio. Et sic C. *Molinao* ad Consuet. Paris. tit. 2. §. 82. gloss. I. num. 41. & 42., volenti, in *utroque casu* laudimia usque ad eventum electionis *suspendi*, partim accedo, partim ab eo recedo.

XXVII. Ex alienatione *necessariâ* non deberi, sed solum ex *voluntariâ*, omnes ferè scribentes de hâc materiâ docent. * Sed regula hæc C. *Molinao* non arridet. **

* *Cravetta* Confil. 215. à num. 3. allegans plures. Fundant speciosè hanc regulam in variis legibus, quæ *alienationem prohibendo* excipiunt *necessariam*, ut l. 22. *vers.* exceptis C. *Mand. l. fin. vers.* exceptis C. *de litigios.*, & pertinentiùs l. 13. ff. *famil. ereisc.*, ubi ferè in terminis jacet regula: *alienationes post judicium acceptum interdictæ sunt*, DUNTAXAT VOLUNTARIÆ, non quæ *vetustiore causam*, & *ORIGINEM juris habent NECESSARIAM*. Inde has ducunt conclusiones: non debetur *laudemium* 1.) *ex datione in solutum ad mandatum judicis*. *Saisonus* ad Consuet. Turon. §. 17. art. 18., cum quis habeat parere necesse. R. J. 24. in 6. 2.) *ex datione pro dote, aut propter nuptias*, quia filiis à patre fit juris necessitate l. *fin. C. de dot. promiss.* Imò nec 3.) *si à muliere dos marito detur, etiam æstimata*. *Jason* in l. 3. C. de jur. emphyt. 4.) *ex donationibus, quas faciunt ascendentes descendentibus, & vicissim*, sive per actus inter vivos, sive per ultimam voluntatem, quia in tam *necessariis, sibi que conjunctis personis sub liberalitatis appellatione debitum naturale persolvitur* l. un. C. de impon. *lucrat. descript.* 5.) *ex successione ab intestato earundem personarum*; ex hæc enim *maximè debiti potius solutio, quàm muneris oblatio comprobatur*. d. l. un. 6.) *ex successione quâcunque hæredis collateralis, vel etiam testamentariâ extranei*, quia necessitas

mortalitatis cogit censualem alicui relinquere bona sua. 7.) *ex divisione hereditatis*, licet prædiorum divisio vicem emptionis obtineat. l. 1. C. commun. utr., cum sit necessaria, per ea, quæ habet *Voss.* ad ff. lib. 6. tit. 3. num. 35., idque licet aliquis cæteris cohæredibus pecuniam daret, imò licet unus erga nummos totam hæreditatem solus caperet; unde multis in locis proverbium est: **Kauf in der Theilung gibt keinen Handlohn.** 8.) *Nec ex retractu venditæ vi pacti de retrovendendo*, nec non rei venditæ recuperatione *vi pacti legis commissoriæ, aut additionis in diem*, quia res ex causâ necessariâ primi contractûs retrotraditur.

** *Molinæus* ad *Consuet. Paris. Tit. 2. §. 82. gloss. 1. num. 12. & 13.* Rationes ejus sunt, quia, si testator gravaverit hæredem de vendendo, necessaria est venditio, itidem, si contingat prædium tale subhastari, & adjudicari plus offerenti, instantibus creditoribus; & tamen his, & similibus casibus locus est gabellæ, & pariter omnibus juribus dominicalibus. Re consideratâ, non invenio in toto jure 1.) quòd alienatio *necessaria*, sive necessitate juris, sive facti, sit *modus privandi quemquam jure suo*; nam in legibus not. 1. citatis etiam post alienationem necessariam manet unicuique salvum jus suum. 2.) quòd, dum *ex conventionem partium* in alienatione requiritur alterius consensu, & non nisi *erga aliquid datum* concedendus est, necessitas faceret, ut gratis consentire quis teneatur. Unde, *abstrahendo à dictâ regulâ*, quæ dominis directis posset esse præjudiciosa, dico, exempla adducta vel esse falsa, veluti 1. & 3., vel quæ vera sunt, ut 2. 4. 5. 6. 7. 8., aliis causis, & siquidem *speciales* deficient, pro *generali causâ* niti *consuetudinibus*. Multa quoque ex regulâ hâc negativâ resolvi possunt: *ubi non est prohibitio alienationis, vel manûs mutationis, ibi nec solvitur laudemium*: successiones, & quæ collimant ad eas, anticipatæ donationes parentum, item prædicta resolventia venditiones, per consuetudines, & recordia non sunt prohibita.

XXVIII. In *alienatione consolidante*, dum nempe,

cenfualis homo vendit fuo domino, negant plerique à vero pretio detrahi poffe laudemium, minus eo folvente tali emptore. *Jafon ad l. 3. C. de jur. emphyt. num. 43.* Et rectè fentiunt *de laudemio juris communis* * Sed hoc ad *laudemium confuetudinarium Franco-Germanicum* non pertinet; quo jure nec protimis domino, nec, poft neglectam protimis, libera venditio cenfuali, competit: ex alio igitur capite ratio decidendi accipietur. **

* Hoc enim jure folus *novus emphyteota* folvit laudemium: dominus, emendo cenfuale fibi, vel emphyteuticum prædium, non fit emphyteota fuus, non infcribitur curti, non approbatur à fe: prædii jus *confolidatur*, non *transfertur*.

** Sicut, fi dominus vendat fuum allodium in cenfuale prædium, emptor ei non folvit laudemium, ita nec venditor domino ipfimet ementi ait *C. Molin. ad Confuet. Paris. §. 78. glofs. 1. num. 112.* Ratio eft, quia his cafibus *non mutatur manus* aliqua cenfualis, fed in primo constituitur modò, in fecundo deftruitur; hinc nulla *mutatio*, utpote quæ *utrumque manus terminum* requirit, à quâ videlicet, & ad quam tranfeat prædium. Verumtamen interefle puto, an 1.) ipfemet dominus *querat contractum*, ardens prædium fuas in manus recipere, an 2.) homo cenfualis illud domino non quarenti venum offerat, & 3.) an *auctioni fuppositus* fundus domino plus licitanti addicatur: in primo cafu nec petitur, nec petenti datur licentia alienandi, & fic cadit fundamentum decimi denarii: in fecundo potest fibi dominus refervare detractionem ejus à vero pretio, fed, fi eam fibi non refervet, nihil poftèa detrahet: in tertio dominus emens confideratur ut alius quilibet licitans *extraneus*, proin alio refpectu, nempè quâ *dans licentiam fubftandi*, decimum denarium deducet.

XXIX. Non solvitur laudemium ex alienatione ab
*initio nullâ, * neque ex imperfectâ. ***

* Nic. Boërius ad Confect. Bitur. tit. 4. §. 18. Arg. l. 2. C. de eunuch., quia omne verbum in jure intelligitur *cum effectu*, & quod de jure nullum est, nullum producit effectum, Arg. l. 8. §. 2. ff. de honor. poss. cont. tabul. l. 4. §. 6. ff. de re jud., nec fit acquisitio, si titulus in semetipso non subsistat, etiam si accederet traditio l. 31. ff. de A. R. D. Vid. Molinaum loc. cit. §. 33. gloss. 2. num. 9. Quod adeò verum est, ut nec solvere cogendus sit ille, ob cujus *dolum* alienatio nulla fuit; quia effectivè mansit prior censualis, nec mutata est manus.

** Veluti 1.) ex venditione *conditionali* ante eventum conditionis eam *suspendentis*, aut si foret conditio *de presenti*, vel *præterito* ante ejus apparitionem; nam non esse, & non apparere sunt idem: similiter non priùs, quàm constet cessare *additionem in diem*, & *legem commissoriam*, cum ambo pacta hæc faciant rem inemptam. 2.) Neque *ex oppignoratione*, quia per hanc res non alienatur perfectè; quare nec de jure communi prohibetur oppignoratio prædii entphyteutici, incio domino, l. 16. §. 2. ff. de pign. act. Quamquam salvâ regulâ: *resoluto jure dantis, resolvitur jus accipientis*. l. 31. ff. de pignorib. Et quanquam recordia plerumque prohibeant censuali homini oppignorationes, non imposuerunt tamen his laudemium consuetudines. Per Lotharingiam nihilominùs mos est, ut si res censualis *pro tanto debito* oppignoretur, quantum est totum pretium, debeat nummus laudemialis; reputatur enim pro alienatâ per venditionem. Idem servatur in Dynastiâ *Hidersdorff*. S. R. I. immediatè subjectâ, saltem pro casu pignoris antichretici. Ubi verò hæc positiva consuetudo non ostenditur, expectabitur fundi dominus, donec ad pignoris distractionem, vel dationem in solum, deveniatur.

XXX. Mox, ut *consensu puro perfecta* est venditio,
 &

& adhuc ante traditionem, exigi posse laudimium, dura opinio est. *

* Quod certum esse docet C. *Molinaus* loc. cit. §. 78. gloss. 1. num. 40. Verum, seclusâ consuetudine id expressè ita ferente, putem, ne cedere quidem mox, & ante quodvis implementum, autem, tamen, contractus purè conclusus sit, multò minùs venisse, ac sufficere, quòd in ipsâ actuali traditione, vel immediatè ante illam, laudemia solvantur, cum nonnisi mutata manu censuali solvenda sint, quod non ante accidit, quàm verus homo recedat, novus accedat. Quid enim, si ambo contrahentes, etiam post insinuationem, pœniterent? Sanè pœnitentiam dominus non impediet per metum frustra, & sine causâ solvendi majoris laudemii, absquè positivâ consuetudine. Quid si venditor noller rem tradere, quòd emptor non sit solvendo? In Galliâ non debentur vendæ, quando venditor rediit in suam possessionem ob defectum solutionis. *Dictionaire de Trevoux* verbo: *lods*. Quid si alteruter ante traditum prædium ageret ex l. 2. C. de rescind. vend., an dominus intercâ exiget laudemia? Ogereretur illi merito: nondum est mutatus homo tuus, sicut petenti optimale ex resignatione bonorum, si ante implementum pœniteat resignantem; paucis: alienatio debet esse efficax, ut debeantur vendæ. *Saisoni* ad Consuet. Turon. tit. 24. art. 17.

XXXI. Si post traditionem, sive de *É* investituram, atque jam solutum laudemium majus, in irritum vocetur negotium per rescissionem ex l. 2. C. de rescind. vend., illud retinebit dominus summo jure, * si per evictionem, ** aut per in integrum restitutionem, nullo, *** si per retractum omni. ****

* Rescissio ista non redigit quidem rem ad causam non alienatæ usque ad principium; Voët ad lib. 18. ff. tit. 5. num. 10. cum commu:

niore, & sic *summo, ac subtili jure* verificatur, *mutatam esse manum*,
 attento etiam, quod rescissio, utpote purum negotium inter ven-
 ditorem & emptorem, non attineat dominum. Verumtamen in-
 tercedens æquâ justitia non patitur dominum fundi manere in
lucro, venditorem, vel emptorem *in gravi damno*; cum in dubio sem-
 per melior sit ejus conditio, qui certat *de damno vitando*, quàm
 ejus, qui *de lucro captando* l. 22. §. 5. C. de jur. delib., & in re
 obscurâ melius sit favere *repetitioni*, quàm *adventitio lucro*. l. 41.
 §. 1. ff. de R. J. Sanè, si rescindatur venditio *ob læsionem vendito-*
ris, emptori *totum* pretium restitui debet; sicut ergo *totius pretii*
 decimus denarius *portio* est, ita reddetur ad integrationem totius
 pretii: accedit spes, deinceps lucrandi multò majus laudemium,
 quia sententiâ judicis res dimidio plus valere declarata est. Si
 rescindatur *ob læsionem emptoris*, accepit dominus cum jacturâ al-
 terius dimidio plus laudemii: ergò restituet in primis excessum,
 deinde verò & illud, quod justum erat, quia *totum* pretium de-
 tum emptori est restituendum, cujus portionem dominus accepit,
 duriozem venditoris conditionem facturus, si hic supplere debe-
 ret. Contrarius est *J. Garfias* de Expens. & meliorat. cap. 18.
 num. 49., sed ejus argumenta tanti non sunt, ut ab æquitatis se-
 mitâ me divertant. *C. Molinaus* loc. cit. §. 78. gloss. 1. num. 13. & 16.
 addit *conditionem*, quam §. 33. gloss. 1. num. 33. plenius deduxit, *scilicet*
in quantum dominus factus est locupletior: verùm, etsi inutiliter dissipasset
 dominus acceptum laudemium majus, perinde maneret causa re-
 petitionis, quia in restitutione pretii ex l. 2. C. de rescind. vendit. non
 fit distinctio, an extet pretium, nec ne, an quis eo se locupletarit,
 nec ne. Aliud esset, si *dolo ejus, qui solvit laudemium*, contigisset
 læsio, cum nemo dolum, aut turpitudinem propriam pro intere-
 tione agendi possit adhibere. l. 4. §. 13. ff. de dol. mal. except. l. 2.
 & 5. C. de condict. ob turp. caus. Aliud quoque sentio de minore lau-
 demio, quod est præmium laboris. Et sic intelligo *Jus Bavaricum*
 tit. 21. art. 21. *Man ist dem Grundherrn NB. Den An-
 fall schuldig, wan gleich der Contract wiederum zuruck gienge*

** *Eviçtio* manifestat, ab eo esse venditum, qui hujus fundi intuitu non erat hætenùs verus homo censualis: ergò iste *sine causâ* dedit laudemium: ergò repetet hæc condiçione, quia non subsuit causâ. *t. t. ff. de condiçt. sine caus.*, & quamvis apparenter fuerit causâ, res tamen per eviçtionem rediit ad non-causam. *l. i. §. ult. ff. eod.* Loquor tamen de *errante*; nam, qui *sciens, alienum* emi vendi, dedit laudemium, non repetet *l. i. §. i. ff. de condiçt. indeb.* Evinçens autem solvet tantùm *minus* laudemium, non *majus*, quia *rei sue vindicatio* est, non *alienatio*, neque hæc de pretio, vel æstimatione rei, quæritur.

*** *Restitutio in integrum* annihilat omnia, non solùm à *tempore litis contestatæ*, sed & *funditùs, atque ab initio*; cùmque illa *ex naturâ integri* debeat esse plena, revocabitur quoque laudemium *majus*. Et notant hæc DD., quòd *restitutio in integrum, obtenta per viam justitiæ*, extendatur quoque *ad jura tertio immediatè ex illâ causâ, quæ per hoc remedium annullatur, quæsitâ*.

**** *Retractus* enim nullatenùs evertit ipsammet venditionem, sed tantùm in eadem aliùm surrogat emptorem: hinc dominus laudemium sibi semel datum retinebit. Sed *novum* à retrahente, nisi *minus*, non petet; licet enim mutetur persona hominis censualis, manet tamen idem in semetipso immutatus contractus; non potest autem ex eodem contractu duplex vendâ prætendi.

XXXII. Ex venditione *sub pacto de retrovendendo* indubitanter debentur laudimia *ab initio*. Sed, an rursum debebuntur, dum postea, ex brevi, longove intervallo, venditor, ejusve hæredes, retrahunt, vel redimunt venditum? Verius, & æquius est, *quòd non*.*

* Quia emptor, qui fuit hætenùs censualis homo, rem non revendit, sed primus venditor solùm, refuso pretio, in vim pacti primitivi retrahit in manus suas: hinc non est duplex venditio; &

cùm dominus uno eodémque accordamento tam venditionem, quàm retrò emptionem, approbaverit, non est opus novo consensu, con-
sequenter nec iterato laudemio. C. *Molinaeus* ad Consuet. Paris.
§. 33. gloss. 1. num. 15. & 16. *Consuetud. Turon.* tit. 14. art. 16.
Zoësius ad lib. 18. ff. tit. 3. num. 129.

XXXIII. Quâ actione dominus *contra morosum cen-
sualem* petat suum denarium ex pretio, disceptant, aliis
realem, aliis *solam personalem* ex primævo contractu, in
quem novi censuales identidem succedunt, danti-
bus, quibus postremis accedo.*

* J. *Schilterus* Dissert. de bonis laudemialib. §. 47., & *Exercit. ad
Pand.* 46. §. 41. sustinet, esse *onus reale*, inhærens ipsimet fundo,
qui propterea vocetur *ein Curnudig Gut*; addit in eo *tacitam
hypothecam*, etiam *cum iure prælationis*. Sed, citra statutum, vel
consuetudinem loci, hæc gratis asseruntur; debentur enim laude-
mia ex jure fundi concessi *remotius*; obligatio *proxima* descendit
ex pacto domini cum primo acquirente, quod saltem tacitè & usuali-
ter innovatur cum quovis successore; *alienationis factum*, prævièque
data licentia, faciunt existere casum: nihil hîc apparet, ex quo
realis actio nasceretur: non est *census*, qui ut ut jus reale sit, vel
esset, *prælatione* tamen non gauderet, nec jus coloni pro *hypothecâ*
haberet: non est *tributum*, sed jus *ad partem* pretii ejus juris ven-
diti, quod unicè ad hominem censualem pertinet, non ad domi-
num simul. Hinc quoque non dicitur in recordiis, quòd *res*, si
vendatur, debeat optimale, sed *homo*, si rem vendat. Quòd si ergò
de more curtis venditor debeat solvere decimum denarium, abeat
que cum toto pretio, dominus non poterit investituram, seu re-
ceptionem denegare emptori, donec iste solvat. Et, si *alia bona*
reliquatoris coloni venient sub *hastâ*, dominus ob non-solutum
laudemium ponendus esset inter chyrographarios creditores. *Berlich*

part. 1. conclus. 64. num. III. *Leyser* Medit. ad Pand. Specim. 104. Corollario 2. *Collectio nova Tubingens.* vol. 6. consil. 73. à num. 16. *Aliud*, si *ipsummet censuale prædium* traheretur sub concursum creditorum; tunc enim deberetur domino *præ omnibus*, etiam republicâ creditrice, cæterisque de primâ classe privilegiatis, decimalis, vel alius denarius; quia totus *concurfus succederet in jus coloni* cum onere & honore, concursus, velut repræsentans colonum, distraheret de consensu domini prædium sine illo haud alienabile: ergo & solvet concursus domino jura consuetâ dominicalia vendæ, sicut in casu, quo concursus succedit in locationem conductionem obæratî coloni temporarii nondum finitam, non poterit declinare ut debitor solutionem canonis antè omnia.

XXXIV. Quòd si verò censualis *ipsum jus laudemii* domino fundi abnegaret, videndum præprimis, *cui incumbat probatio*: * & si quidem domino, utatur hic primùm remedio *possessorio*; ** in *petitorio* non quadrat *confessoria*, nec accipiendum est iudicium *negatorie actionis*, *** sed *ex contractu, moribus, rebus iudicatis, præscriptione*, agendum.

* Si negaret homo, *prædium suum à domino movere, & censum dare*, dominus hoc, ceu fundamentum suæ intentionis, ante omnia probabit; ad quod sufficit, si ipse in recordiis, vel aliis literis vocetur *der Grund-Herr, Lehn-Herr, Zins-Herr*, prædiorum possessores autem *Lehn-Leuth, Zins-Leuth, Schaft-Leuth*; de his dominis, qui simul jurisdictione fundali gaudent, sic solet Scabinus enunciare: *wir weisen unserem rechten Herrn, als weit der Bezirk gehet, Bann und Mann, Zugel und Fluck, Fund und Prund, groß und klein, den Vogel in der Luft, den Fisch im Wasser, das Wild auf der Erden, Wald, Wasser, und Weyd, Scheffen, und Gericht* &c. Si, *constito, quòd*

moveat dato censu prædium, negaretur onus laudemialis denarii passim, summam, & à plerisque curtariis, domino incumberet probatio; si unus tantum alterve se vellet eximere, huic, juxta dicta §. XIV. not. 2.

- ** Ad normam l. 6. ff. de usur., ut, qui longo tempore, i. e., saltem 10. annis, dederunt denarium vendarum, in possessorio condemnentur ad porro dandum, sicut in usuris tanto tempore datis.
- *** Neque enim hoc genus exactiois est *servitus in re aliena*, cum dominus exigens in fundo censuali aut *plenum*, aut ad minimum *directum* habeat dominium; sed est *reservata præstatio* ex pretio alienati ejus juris, quod habet censualis homo.

XXXV. Præscribitur huic *in personam* exactio 30. annis, juxta regulam l. 3. & 4. C. de præscript. 30. vel 40. an.; * & vicissim dominus totidem annis præscribet hanc exactioem, ** salvo Ecclesiarum privilegio quadragenariæ præscriptionis.


- * Non solum pro ea vice non soluti, nec intra 30. annos exacti laudemialis denarii, sed etiam quoad ipsum jus, deinceps exigenti. Primum concedit Ludovic. Dietberrus in addit. Besoldi thes. præd. verbo: *Handlohn*, secundum negat, tum arg. l. 2. C. de præscript. 30. vel 40. an., junct. l. 7. in fin. eod., tum, quod exigere laudemium sit actus meræ facultatis; sed fatetur, contrarium fuisse pronunciatum, & meritò, quia omni juri 30. vel 40. annis jugi silentio præscribitur; neque hic est totuplex obligatio, quot casus eveniunt alienationis, ut in præstationibus annuis, sed una, à principio concessionis. J. Schilter dissert. de bon. laudem. §. 51. post alios.
- ** Nempè, sicut in feudis, rebúsque & officiis ad ea pertinentibus per 30. annos *active*, *passive*, *translative*, *extinctive*, præscribitur, ll.

Feud. 26. §. 5., ita quoque in his bonis, juribusque eorum, ac præstationibus, propter magnam, quam habent cum feudis, affinitatem. *Leyserus* medit. ad Pand. specim. 104. corollar. 1. requirit *saltem immemoriam* præscriptionem ad hoc, ut laudemium *quingagesimâ parte pretii* majus exigi possit, *Arg. cap. 1. de præscript. in 6.* Accedo, sed rursus monens, laudemium legis 3. *C. de jur. emphyt.* esse *meras sportulas receptionis, & inscriptionis*, ac interdum quoque *investituræ*, ab ingrediente curtem, & fundum censualem solvendas, quæ cum absque eo jam sint satis graves, proindeque à curtibus parùm usitatæ, augens profectò haberet contra se juris & æquitatis fortem resistantiam. Aliud est de laudemio *majore*, quod non est laboris, sed gratuitò, vel erga modicum pretium æquè, ac annum canonem, concessi prædii æquissima compensatio: maneo igitur in regulâ reciprocationis, quòd, sicut dominus præscriptione 30. annorum denarium majorem potest perdere, ita quoque acquirere.

Atque tantum de argumento, Pragmaticorum scriptionibus parùm sæpè elimatis obscurato, in quo si non fuerim anecdoticus, saltem studui esse veri, æqui, justii selector methodicus, nec paleas, ut credo, penitus excussas flagellans, nec easdem inter bona grana relinquens. Tu, Lector discrete, conatui juris Francico-Germanici fave.

I. O. H. D.





THESES PARERGÆ

EX UNIVERSO JURE.

- I. Lex Divina naturalis datur, jus solius naturæ non datur.
- II. Peccatum contra solam rationem non est possibile.
- III. Præco legis divinæ naturalis non est hominis ratio, sed lumen auctoritatis naturæ internum, aut verbum ejus externum.
- IV. Conscientia hæc est ratio nostra lumen naturale ut præconem legis naturalis agnoscens, quasi mens conscia legis;
- V. Ex quâ quidem, licet erraverit, judicamur, sicut in Evangelio servus nequam ex ore suo, quantumvis falso, judicatus est; propterea tamen regula morum ipsa non erit, sed subjecta regulæ.
- VI. Decretum Gratiani monachi non est pars Corporis juris canonici.
- VII. Decretales Gregorii IX. habent tantum auctoritatem relativam ad fontes: obligant de cætero ex usu, ut sunt compilatio.
- VIII. Tota vis consuetudinis præter legem consistit in tacito intentionis pacto, consuetudinis contra legem in præscriptione.
- IX. Translatio Episcopi, sine causâ canonicâ facta, subsistit etiam in conscientia.
- X. Privilegium fori clericalis in causis temporalibus, & immunitas Ecclesiarum ac Cleri à tributis, sunt juris humani.

- XI. *Clericus actor in causâ pecuniariâ non potest à laico reo coram iudice seculari reconveniri.*
- XII. *Obligationi personali, quæ in dando, & faciendo, consistit, cum malâ fide præscribi non potest.*
- XIII. *Res iudicata contra jus partis facit jus triumphanti etiam pro foro animæ.*
- XIV. *Regula de triennali possessore solum juvat pro foro externo.*
- XV. *Prelatus, exemptus, non-exemptus, potest in loco, cujus Clerus & populus Episcopo est subjectus, jus in- & destitutionis authorizabilis aut 40. annis cum titulo, aut, sine hoc, tempore immemoriali præscribere.*
- XVI. *Aliud est præscribere decimis, aliud præscribere decimas.*
- XVII. *Sponsalium fidem sine causâ implere nolens nec censuris compelli, nec parti ad satisfactionem pecuniariam ob hoc solum condemnari potest.*
- XVIII. *Clandestinum matrimonium in Galliâ pro neutro foro valet.*
- XIX. *Contractus triplex, societatis, affecurationis, & venditionis lucri, cum eodem socio eodem tempore initus, nimis clare à Sixto V. in bullâ detestabilis de an. 1586. condemnatus est ut usurarius, quam ut salvari possit ab usurâ.*
- XX. *Damnum, ex merâ culpâ juridicâ, dum tamen propriâ, datum, agnitâ culpâ, reparandum est sub peccato, etiamsi damnum passus non interpellat.*
- XXI. *Legitima de jure civili absorbet Trebellianicam.*
- XXII. *Emptorem hæreditatis sequitur jus accrescendi,*

XXIII. *Se pone lusus umbratiles proportionis arithmeticae, quos faciunt defensores Glossae, in l. 2. C. de rescind. vendit. quoad computandam emptoris ultra dimidium lesionem manifestè errantis; & assume regulam communem:*

Venditor } ultra dimidium læditur, si nequidem dimidium à se
Emptor } dati accipiat.

E. g. Venditor sic læditur, si pro 10. nequidem accipiat 5., non, si pro 10. tantum 6.

Emptor, si pro 10. nequidem 5. consequenter, si pro 20. nequidem 10. aut si pro 16. nequidem 8. Non, si pro 16. saltem accipit 10.

Sic supputat Jus Provinciale Trevirorum tit. 18. §. 11. hoc exemplo: si Emptor pro 20. mercis daret 40. pretii & ultra; nam & venditor pro 20. pretii deberet dare 40. mercis, & ultra.

XXIV. *Si vinum sit mutuum absque die datum, & ed res in iudicio perveniat, ut æstimatio vini adjudicanda sit, spectabitur tempus contestatæ litis per l. vinum 22. damnatam, & temulentos facientem interpretes, ex propinâ Juliani ff. de R. C. Ergò à pri, si aurum cursum, e. g. floreni de Florentiâ parvi de Sæc. XIV., datum sit mutuum, atque æstimandum veniat, puta, quia talis moneta non potest amplius haberi, æstimabitur secundum tempus contestatæ litis.*

XXV. *Annus normalis Westphalicus art. 5. §. 31. pro solis Principum, & Statuum Imperii Ecclesiasticorum subditis Protestantibus est intelligendus.*

XXVI. *Nec comprehendit casum, quo hodie superioritas territorialis alicujus terræ, anno normali, & ab eo usque huc protestantica, ad alium Catholicum devolveretur.*

XXVII. Felonia in personam domini commissa facit consolidari feudum cum proprietate, etiam in præjudicium Agnatorum.

XXVIII. Præscriptio in feudis, etiam antiquis, semel contra unum vasallum completa, præjudicat omnibus, viventibus, & nascituris.

XXIX. Dum leges terribiles de penâ capitis, vel capitali loquuntur, intelligunt penam mortis, vel exilii.

XXX. De consensu Principis (non judicis, nec propinquorum) cadavera punitorum Anatomie Academicæ donari possunt. *

Addit tamen devotus Criminalista Tyrolensis, & Oenipotanus Cancellarius, J. C. Frölich de Frölichsbürg in Commentar. ad Nemes. Carolin. lib. 4. tit. 16. num. 8. Im Fall zugelassener Anatomie aber seynd die Aerzte schuldig, für den Abgestorbenen Allmosen zu geben, und andere gute Werke zuverrichten: Fortassis ob vulnus Extravaganti 1. Bonifacii VIII. de sepult. int. com. suo modo inflictum.

AD JUS CAMERALE S. R. I.

I. Processus mandati C. C., & mandati S. C. quoad onus allegandi, & justificandi exceptiones, impetrato per clausulam aut causas injectum, pari passu ambulat.

II. In fundatione fori ex continentia cause Camera diversorum territoriorum subditos, etiam mediatos, immediatè judicat, licet per l. 1. & 2. ff. de quib. reb. ad eund. judic. eat. unius rei citati judex inferior omnes in causæ continentia versantes posset judicare.

III. In hodierno systemate Imperii Romano-Germanici l. un. C. quando Imp. int. pupill. & vid. contra mediatum non obtinet, sed tantum contra immediatum, & exceptionem austregalem. Gaudet verò

hoc privilegio *papillus Princeps*, armis licet & consiliis sui statim
provisus.

IV. Sunt territoriola, five villagia, Ecclesiarum, Baronum, aliorum
que Nobilium *immediata*, in Treviratu vulgariter *Reichs* dicta
ubi vel *unica* solet esse instantia *ordinaria*, vel ad plus *duo*, nempe
judicium, & dominus, vel officiatu, & dominus: tertia, vel
secunda, iret ad unum de supremis Imperii Dicasteriis. Quid si
ciet Dominus, ne subditi sui teneantur eò concedere, etiam si sum-
ma sit appellabilis? R. Sæpius deleget, ut semper ad se delegantem
appelletur.

V. Camera potest, & tenetur usuras, ultra 5. pro 100. in aliquâ pro-
vinciâ permissas, redigere ad quincunces; sed legem *Anastasianam*
in aliquâ provinciâ abrogatam, sequi non potest.

VI. Quòd *Andr. Gaill*, quondam Trevirensis Assessor Camerae, lib.
1. *observ.* 11. & 12. ambagem fecerit *duplicis* iudicii in conside-
ratione *l. diffamari*, hoc ad erroneum suppositum pertinet, quasi verò
diffamans in iudicio *causæ principalis* esset actor, atque ita trahi pos-
set ad forum *diffamati*, velut rei, qui tamen sæpè potest esse mo-
diatus, dum *diffamans* est *immediatus*. Error est, ex interpre-
tus assumptus ab ipsamet Ordinatione Camerali *part. 2. tit. 25.*
quâ stante de praxi Camerali sicut ambages, quas alia inferiora
iudicia evitant.

I. O. H. D.

